MASTER NEGATIVE
NO. 93-81528-6

AUTHOR:

EICHER, OSWALD

TITLE:

DE RESPONSIONE EURIPIDEA

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1886

Master Negative #
93-81528-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Eichler, Oswald, 1860-
De responsione Euripidea particula I. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Oswaldus Eichler ... Lipsiae, typis A. Priesii, 1886.
68 p. 22 cm.

Thesis, Leipzig.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/4/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE RESPONSIONE EURIPIDEA

PARTICULA I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OSWALDUS EICHLER

LIPSIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS AUGUSTI PRIESII.

MDCCCLXXXVI

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

ARGUMENTUM.

Versus dactylici — Pag.
I. De systematum dactylicorum responsione . . . . . . 1—22
A. Carmina chorica . . . . 1—17
B. Τὰ ἀπὸ σκηνῆς . . . . 17—21
II. De versuum dactylicorum in strophis alloeometricis responsione . . . . 22—29
Versus anapaestici
I. De legitimis anapaestorum systematis . . . . 30—40
A. Anapaesti in primo et ultimo cantico positi . . . . . 30—36
B. Anapaesti in ipsa fabula positi . . . . 36—39
II. De liberis anapaestorum quae vocantur systematis . . . 40—67
A. Carmina chorica . . . . 40—45
B. Carmina commatica . . . . 45—55
C. Carmina monodica . . . . 55—66

Versus dactylici.

I. De systematum dactylicorum responsione.

A. Carmina chorica.

Nihil omnino admiratione nostra magis est dignum quam mira illa in componendis versibus concinnitas et aequalitas, qua audientium aures summorum poetarum Graecorum carmina delectaverint. Quamvis maxime varia sint argumenta, quae respondendi aequabilitate adornaverint poetae tragici, eadem enim symmetrica ratione in sedatiore oratione de rebus locuntur philosophicis, qua depingunt summam animorum trepidationem ac perturbationem, nihil tamen in quo excelleret compositionis aequabilitas magis idoneum videbatur carminibus chori, qui antistrophis quam maxime studet. Sed unde hoc? Quod antistrophae utpote simpliciores et placidiores quam *ἀπολελυμένα* choro magis conveniunt, qui partium studio non inflammatus expers est tragici certaminis, ut ex Aristotele patet, qui apertis verbis testatur chori carmina esse antistrophica.

Itaque quem ad ordinem carmina illa sint composita si quis diiudicaverit nulla de antistrophicis opinione praeoccupata, ei dubium esse nequierit quin chorica sint adstricta legibus antitheticis. Ac re vera quidem omnes paulo ampliores fabulae partes a choro cantatae antistrophicae fuisse videntur exceptis quae in parodo recitatae continuis pedibus decurrunt (*τὰ ἐξ ὁμοίων*), de quibus verissime iudicat Hephaestio p. 71 Westph.

κατὰ περιορισμοὺς δὲ ἀνίσους ... μάλιστα φιλεῖ γενέσθαι ἐν ταῖς παρόδοις τῶν χορῶν.

Consentaneum igitur est dactylos chori continuos in parodo recitatos ad certam responsionis legem non semper fuisse adstrictos. Omnino autem parodi natura ea est, ut dactylica systemata non quaeramus nisi Sophoclis aetate, quo auctore id novatum videtur ut parodus iam non a choro orchestram intrante, sed semper fere a stante suoque ordine disposito recitaretur. Dactylicae autem partes parodi apud Euripidem tam breves sunt, ut complura systemata efficere non possint (Med. v. 131—37, Hel. v. 164—66*)).

Statim igitur ad stasima veniamus.

Atque in **Heraclidarum** stasimo primo v. 608—29 cum syllaba syllabae, caesura caesurae severe respondeat, conformationem antistrophicam quin agnoverit iam inde a Boeckhii temporibus nemo est. Cf. Boeckh. Graec. trag. princ. p. 262. Quae compositio accurata, quod de rebus philosophicis agitur, carminis indoli apprime convenit. Legimus enim haec fere: res humanas esse mutabiles, potentes de fortunae fastigio detrudi, miseros erigi; quae cum evitari non possint, sapientis esse tranquillo animo ferre.

In huius igitur carminis dispositione apparet aptissima sententiae severae aequalitas, cum in aliis maior rerum trepidatio coniuncta cum personarum motu poetae maiorem licentiam concesserit. Atque in libris accurata responsio bona fortuna servata est excepto, ut omittam minutias orthographicas aliaque olim restituta, uno loco v. 614, qui Seidleri verborum transpositione *τὸν δ' εὐδαίμονα τείχει ἀλάταν*, ut spondeo ex altera parte respondeat dactylus, non sanatur, sed ad accuratam resposionem restituendus est, ut ex totius carminis insigni responsione liquido apparet.

Anceps autem syllaba in voce *βαρύποτμον* v. 608 neminem opinor offendet, cum hoc verbo in fine hexametri posito responsio non disturbetur. Eadem ratione hiatus in dipodia quae sequitur et saepius (cf. p. 9 sq.) bonam habet excusationem.

---

*) In citando Euripide usus sum Nauckii editione III., in Aeschylo et Sophocle Dindorfii ed. V. Teubn., in Aristophane Bergkii ed. II.

Atque syllaba in stasimo anceps praeterea exstat in dipodia Phoen. v. 795∾812, in tetrapodia non nisi in strophae exitu mutilato Phoen. v. 816 sq.∾799 sq., in hexametro Phoen. v. 792∾808 (cf. p. 4), v. 793∾809, v. 821 (interpunctione terminato). Cf. etiam Aesch. Ag. v. 171 = 136, v. 112 = 130, v. 154, Ar. Nub. v. 285∾309, Ran. v. 878.

Neque igitur necesse est scribamus cum Hartungo et Westphalo *βαρυπότμον τ'*.

Recte autem iidem tripodias 615 sq. = 626 sq. in unum ordinem coagmentasse putandi sunt, sicut in Phoen. v. 794 = 811, cum tripodiae dactylicae acatalectae non reperiantur apud poetas scaenicos (cf. Dindorf. de metr. poet. scaen. p. 49).

Accedit quod carmen nostrum dipodiis incedere reliquis versibus docemur: caesura bucolica, dipodiis, tetrapodiis dipodicis, metris, quae plus sex pedes amplectuntur (cf. Schol. Heph. p. 174 W.). Quam ob rem quoniam per dipodias scandendum videtur, pentapodiam ultimam silentio addito quattuor morarum parem esse crediderim hexametro.

Praeterea vix est cur excusemus, quod usitatissimum nomen hexametri hic retinuimus. Et hexametri quidem proprii, qui monopodiis incedat, tot sunt bases quot pedes. Versus autem per dipodias tres dimensus non iam hexametrum, sed trimetrum est (cf. Marius Victorinus p. 70 Keil.). Equidem sic existimo: doctrinae praecepta si intuemur, trimetros esse dicendos versus dipodiis tribus percussos, usum tamen si respicimus, consuetudinem retinendam esse.

Post haec quae reliquis artius quam videri possit conexa sunt, redeat disputatio ad id quod instat. Jam enim quaerendum est num in **Phoenissarum** stasimo secundo v. 784—833 pentapodia ferri possit in systemate dactylico ipso, quod per dipodias scandi videtur.

Versui enim 792 *οὐδ' ὑπὸ θυρσομανεῖ νεβρίδων μέτα δινεύεις* respondet vulgo ex altera parte pentapodia v. 808 *ἅ ποτε Καδμογενῆ τετραβάμοσι χαλαῖς*. Sed in tanta respondendi concinnitate mirum esset, si in uno hoc versuum pari intra quinos denos accurate respondentes versus poeta eam neglexisset; at certe non neglexit, modo vera retineatur forma.

Nam ne hos quidem versus non tentaverunt metrici, qui catalecticos in syllabam non in fine systematis positos in acatelectos vel catalecticos in bisyllabum mutare soliti erant; hi igitur duplicem in modum loco nostro manum admoverunt, alii ad hexametros extenderunt versus: *δινεύεις ἀλλ᾽ = ἐν χαλαῖσιν*, alii in pentapodias coegerunt: *δινεῖς = χαλαῖς*, illi iusto audaciore coniectura, hi rationem rhythmicam non satis respicientes. Acquiescam igitur in codicum lectionibus optimis praesertim verique simillimis *δινεύεις* et *χαλαῖσι*. Vide quam apta sit his potissimum verbis *χαλαῖσι* et *δινεύεις τονή*, quae necessaria est ad explendum tempus binarum morarum, seu antepaenultima syllaba per quattuor moras sonat: ⏘ ⏗ ⏒, seu antepaenultima et paenultima per ternas: ⏗ ⏗ ⏑ (cf. Christ. Metr.² p. 228). Eadem modulatio invenitur in Ar. Pace v. 788=810, Eur. Suppl. v. 279. Quae exempla quod exstant in systematis ipsis, non verisimile nec probabile sileri post ultimam arsin per duo tempora, qua pausa facta dirempta esset sententia.

Sed haec hactenus. Jam enim sanandus est locus, quem vulnus insedit duplex quamquam non vehemens nec difficile medicatu, dico v. 796 *ἀσπιδοφέρμονα θίασον ἔνοπλον*, cui respondet v. 813 *Οἰδιπόδα κατὰ δώματα καὶ πόλιν*. Gravissimum igitur laesae responsionis exemplum, in quo tribrevis bis respondet dactylo, exstat in libris. Quod quamquam Hermannus olim rectissime perspexerat non esse ferendum, novas movebat turbas Buchholtzius (de dactylicis Euripidis versibus p. 7), qui cum de mensura cyclia disputare sibi proposuisset, contenderet tragicos in versibus dactylicis admisisse tribrevem dactylo respondentem. Itaque non modo tribrevem *θίασον* servabat, sed etiam *ἔνοπλον* revocabat, cum vulgo *εὔοπλον* scriberetur e coniectura scholiastae metrici codicis Kingiani.

Suo quidem iure Hermanni mutationes

> *κοσμήσας θιασῶταν*
> *Σπαρτῶν γέννας*
> *ἀσπιδοφέρμονα χάλκεον εὔοπλον*
> *ἀντίπαλον* e. q. s.

refutavit ut violentiores. Nec minus recte respuit Hartungi coniecturam, qui monitus ab Hermanno exstare apud Hesychium

θείασος arbitrabatur *θίασος* hoc unico loco priorem productam habere. Hoc est abuti glossis Hesychianis. Ceterum haec glossa de interpolatione valde suspecta a Mauricio Schmidtio iam recte deleta est. Usu igitur ac ratione hanc rem disceptemus.

Sed quantas sibi peperit difficultates Buchholtzius, cum negaret id quod negari non potest tribrevem omnino non tulisse Euripidem in systematis dactylicis! Quid enim nostro efficitur exemplo, in quo simul duo adsunt tribreves respondentes dactylis? Nonne vel ideo valde suspecti? Quid? quod versus antecedentes omnes accuratissime sibi respondent.

Sed examinemus exempla, quae vir doctus attulit. Atque in systematis dactylicis unum qui huc pertineret locum repperisse sibi visus est, Electrae Sophocleae v. 148 *ἃ Ἴτυν, αἰὲν Ἴτυν ὀλοφύρεται*. At quis est quin singularem huius loci rationem perspiciat! Nam ut in uno aliquantisper commoremur, perlustra quaeso exempla Sophoclea, quibus eadem ratione, ut auribus diversa contrariaque mensura percussis commoveantur animi, hic corripitur, illic producitur eadem syllaba: Phil. v. 827 *ῡ̔πν᾽ ὀδύνας ἀδαής, ῠ̔πνε δ᾽ ἀλγέων*, O. C. v. 883 *ἆρ᾽ οὐχ ῠ̔βρις τάδ᾽; ῡ̔βρις, ἀλλ᾽ ἀνεκτέα*, Antig. v. 1240, O. C. v. 442, Phil. v. 1430.

Nimirum producitur in arsi, corripitur in thesi. Neque mirandum est quod *Ἴτυς* in arsi produci potuit. Est enim ubi ultima nominum in-*υς* vel-*υν*, -*υος* exeuntium in arsi producatur: Eur. Herc. fur. v. 5 *στάχυς ἔβλαστεν*, El. v. 1214 *γένυν ἐμὰν*, Cratin. fab. inc. fr. 138 Mein. *πίτυν*, saepius in oxytonis: *κλιτύς* Soph. Antig. v. 1145 (cf. Nauck. ad Soph. Tr. v. 271). Accedit quod in recitando hoc versu post repetitam vocem pausa temporis statui potest, quae producendi habeat vim (cf. G. Hermann. Elem. p. 248). Sed non opus est pluribus, quando id non dubito quin persuasum habeas nomen *Ἴτυν* productum iustam admittere excusationem.

Quae praeterea affert exempla Buchholtzius ex strophis alloeometricis sunt deprompta; in quibus unum est, quod, priusquam ad ipsam rem transeamus, praemonere visum est. Quod enim arsis dactylica num solvi possit apud tragicos dubium est, id fieri posse negamus, si respondet dactylus, cuius responsionis duo exstant exempla iam in suspicionem vocata a Godofredo Hermanno. Nam ut proceleusmaticus iste apud tragicos defendi

possit, aliis certe opus est exemplis atque quae in aciem producuntur. Etenim hac de re diu inter se pugnaverunt viri docti. Atque defendunt poetarum scaenicorum dactylum solutum Seidlerus (de vers. dochm. p. 43 sqq. adn., epist. ad Lobeck. Aiaci eius ed. I. subiecta p. 437) et Westphalus (Metr. gr. II[2] p. 386. 523. 579 sq. 842), qui vel coniectura illatum in Phoen. v. 1498 et 1501 *τίνα δὲ προςῳδὸν* et *ἀνακαλέσωμαι* pro exemplo affert*). Ab altera parte stant Hermannus (Elem. p. 319 sq.) et Christius (l. l. p. 145).

Percenseamus igitur exempla, quae huc pertinere videntur.

Eur. Bacch. v. 591 in stropha dactylotrochaica corruptus traditur; Palatinus B enim articulum *τὰ* solus exhibet, qui tamen verbum *κίοσιν* omittit.

Ar. Lys. v. 1262 sq. in stropha eiusdem generis post verbum *σηροκτόνε* neque post verbum *μόλε* sunt distinguendi.

Soph. O. C. v. 186 = 205, Eur. El. v. 126, Bacch. v. 107 = 122 in strophis logaoedicis iambici sunt soluti, quorum illi dimetiendi sic: ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ – | ⏑ –, hi sic: ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ ⌞ | –.

Soph. Tr. v. 118 = 128, Herc. fur. v. 639 = 656, alii eiusmodi in strophis logaoedicis choriambici sunt basi diiambica praefixa percutiendi in hunc modum: ⏑ ⏑ ⏑ | ⏑ – | – ⏑ ⏑ ⌞.

Ar. Av. v. 1753 videtur esse glyconeus II. huius formae: ⏑ | ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | ⌞ | – (cf. Soph. O. T. v. 190∾203 ⏑ | ⏑̄ ⏑̄ ⏑ | – ⏑ ⏑ | ⏒ id genus alia), sicut v. 1754 glyconeus II. huius formae ⏑ – | – ⏑ ⏑ | ⌞ | –**).

In Troadum autem v. 841∾821 *Δαρδάνια* in *Δαρδάνεια* corrigendum esse vix est quod moneam. Restant igitur exempla, in quibus proceleusmatico dactylus respondet, Soph. Antig. v. choriambicus 796 in stropha logaoedica et Eur. Andr. v. dactylicus 490 in stropha iambica. In ipsa hac numeri ratione

*) cod. omnes exhibent *τίνα πρ.* et *ἀνακαλέσομαι*; nam in quo solo *τίνα δὲ* scriptum erat Vossii Florentinum b apographum fuisse cod. Florentini c Prinzius (Fleckeiseni annal. vol. 105 p. 525 sq. et 113 p. 737 sq.) evicit, ut nil nisi meram hic habeamus coniecturam. Accedit quod particula *δὲ* ut Matthiaeus recte monet in nova sententiarum serie ordienda minus apta est.

**) hunc versum pro glyconeo habeo, quod idem versus antea in strophis plane glyconeicis occurrit: v. 1736, v. 1742.

quoniam nihil cur displiceat liquet inesse, cum pro anapaesto saepissime proceleumaticus ponatur apud tragicos, solo haec res usu diiudicari debet. Etenim mirum sane illud potest videri cur tandem si dactylum solutum licuit usurpare, nullum inveniatur certum exemplum eiusmodi, ut et in stropha et in antistropha positus sit proceleusmaticus pro dactylo. Quodsi quaerimus quam legem in componendis versibus dactylicis in universum observaverint poetae, statuendum nobis est eos in hoc versu nusquam non severissimis antistrophicae responsionis legibus oboedisse, ita ut quibus locis haec laeditur pedibus iambicis, trochaicis, proceleusmaticis, librorum id corruptioni sit imputandum. Ac quidquid statuitur de spondeo admittendo, huius quoque rara est responsio cum dactylo. Itaque id magnopere fuit cavendum, quae suapte natura inusitata esset rhythmica forma, ei ne responderet sat diversa in versu dactylico.

Jam vero exempla ista cum tantum absit ut usitatam dactyli formam exhibeant, ut responsionis integritatem pervertant, criticae disciplinae severitati haud inconvenienter videor acturus, si ad Hermanni Dindorfiique scripturas me applico, quorum alter in Andr. v. 490 restituit *ἀμφ' ἔριδος*, alter in Antig. v. 796 *ἐκτὸς ὁμιλῶν*.

Haec scripseram re apud me sedulo pensitata. Nec erat quod me iudicii paeniteret, cum Buchholtzii sententiam conferrem. Neque enim haec res suam qua nitatur rationem non retinet, si cum Buchholtzio faciamus, qui ultimas quinque antistrophici versus syllabas compositas esse vult ex tribrevi et pyrrhichio: *ἔριδος* | *ὕπερ*, quibus respondeat ex altera parte dactylus et arsis dactylica: *αὐτοκρα* | *τοῦς*. Quid autem lucramur hac ratione? Nihil profecto. Remanet enim scrupulus, quem movet utique arsis dactylica soluta, cui accedit mirificum responsionis genus dactyli cum tribrevi in versibus dactylicis, in quo non possumus non offendere.

Nonne si quis audivisset illas syllabas breves choriambo respondentes percepisset potius illam quam priore loco reiecimus responsionem quam hanc, si modo arsis dactylica soluta longae opponi potuit in responsione. Verum tamen de hac re difficillima diiudicatu nunc non placet ambiguis coniecturis indulgere. Pergamus igitur ad aliud quiddam certum illud quidem et

satis enotatum, paroemiacos nusquam in breves exire syllabas. Nam ni fallor haec eadem causa est cur et anapaestici et dactylici catalectici semper producta syllaba ad finem perduci debeant, ne post tonen aut ante pausam magna discordia duabus brevibus in versus exitu positis efficiatur.

Enimvero exquisitior est quam verior ratio ista Buchholtzii, quandoquidem de lege agitur exemplis comprobanda. Jam igitur vidimus de exemplis. At enim Euripidea omnia non unam ob causam suspecta: in Phoen. v. 796 simul duo erant tribreves respondentes dactylis, in Andr. v. 490 arsis praeterea soluta in fine versus catalectici.

Non pertinet huc qui praeterea affertur Soph. Antig. v. 134∾148: – ⏑ ⏑ | ⏑̄ ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ | ⌞ | – v. dactylotrochaicus, ut omittam iam pridem emendatum esse *ἀντιτύπᾳ*.

Quae si recte disputata sunt, nusquam in v. dactylico tribrevis respondet dactylo, ut exempla duo Euripidea corrigenda ac severae responsionis legibus adstringenda sint. Quorum alterum cum Hermannus persanarit, restat Phoen. v. 796.

Cuius de corruptelis cum cogitarem, sic mihi videbar instaurasse poetae manum:

ἀσπιδοφέρμον', ἄθυρσον, ἐνόπλιον.

Quam coniecturam licet communire argumento, quod positum est in totius loci indole; memorat enim poeta belli tumultum, quem movet Mars, multo alium esse atque orgia et cantus Bacchicos; quam ad discrepantiam hic respicit poeta verbo *ἄθυρσον*, quo eodem utitur in Or. v. 1492. Ut enim antea inter se opponuntur *μέλπει μοῦσαν* et *ἀναυλότατον*, sic hic *ὑπὸ θυρσομανεῖ* et *ἄθυρσον*.

Totius periodi ita emendatae v. 784—797 et 801—814 inter se accurate respondent. Apparet autem ex hac tanta omnium aequalitate versus qui secunter in altera utra parte foede corruptos esse.

Quam in rem qui primus inquisivit scholiasta metricus perperam egisse censendus est, cum versum 798ª nullam interpolationis speciem prae se ferentem proscribi iuberet. Quo versu eiecto ne accuratam quidem responsionem assequimur nisi vio-

lentis mutationibus. Alio ducit responsio severa in reliquis partibus, quae ostendat excidisse nonnulla. Multo igitur rectius disputasse iudicandus est Kirchhoffius, qui quinarum syllabarum lacunas indicaverit post v. 814 et v. 815 deleto verbo *παῖδες*, nescio tamen an non suis locis.

Ille enim versus 814 cum insequenti sane artius cohaeret quam ut tripodiam, quae ne ferri quidem possit in systemate dipodiarum perpetuitate procedente, intercidisse suspicar.

Ut iam quod ipse sentio promam, v. 799 et 817 ad amussim inter se respondentes non tentandi videntur. In versu autem antecedenti 816 verbum *πατρὸς*, quod dici vix potest quam sit molestum hoc loco quamque insuavem creet sententiae acerbitatem, removeo. Ac re vera codicum memoriam perturbatam esse metri demum deformitas nos edocuit, cum verbum *πατρὸς* numerum syllaba superet. Cuius vestigia prementes eo adducimur ut antecedentem tripodiam hiulcam expleamus hoc verbo, quod de loco suo esse delapsum non veri est dissimile. Videri quidem possit illic valde supervacaneum. Sed memento quaeso de quo viro loquatur poeta. De Oedipode profecto, qui et pater et frater liberorum suorum fuit. Quare Eteocles et Polynices quamquam patris sui proprii erant filii, tamen non legitimi erant filii patris sui quod attinet ad matris partum (*ματρὶ λόχευμα*), quippe quae mater eadem avia.

Ut enim antea in v. 803 *λόχευμ' Ἰοκάστας* ad Oedipum pertinebat, ita hic vice versa *ματρὶ λόχευμα* ad Eteoclem et Polynicem, quod ex omnibus quae praecedunt dilucide apparet. Atque in sequenti v. 817 huc respicit poeta et planius dixisse videtur quosnam antea significasset.

Hoc vero feliciter remoto metri defectum in v. 816 optime sanari vides, si pluralem *μιάσματα* redintegraveris.

Ne quid praetermittere videar, hiatus passim invenitur in systematis dactylicis. Admittunt etiam ii qui v. 798ª proscribunt (Porso, Hermannus, Seidlerus, alii) in fine versus acatalecti hiatum, atque reperitur Suppl. v. 277 et ante exclamationem Phaet. frag. 775 v. 62. Atque nostro loco interpunctione gravi satis excusatur, in Suppl. autem versu appellatione. In v. catalecticis in duas syllabas habes hiatum Heracl. v. 609 = 620, Andr. v. 1191∾1178, Phaet. fr. 775 v. 61 (post exclam.)

dipodiis, Phoen. v. 788∾805, v. 1488, v. 1546 (ante exclam.), v. 1554 (in person. vice) tetrapodiis, Phoen. v. 1549 (ante exclam.), Andr. v. 107, v. 113, Suppl. v. 273, Tro. v. 595 hexametris. Cf. praeterea Ar. Ran. v. 815, v. 876, Pax v. 116, Soph. Phil. v. 1205.

In ipso versu non exstat hiatus nisi Phoen. v. 1497, ubi idem verbum cum vi quadam repetitur, et saepius in exclamationibus ipsis, sicut Andr. v. 1175 *αἰαῖ, ὦ πόλι*, neque tamen post eas, quod idem in anapaestis observamus.

Sed ut unde deflexit eo revertatur disputatio, illis impedimentis superatis ad extrema progredientes statim abrupta oratio nos merito offendit. Desideratur enim nomen illius quae liberos illegitimos peperit, quippe cuius, Iocastae, non mentio fiat nisi ante quindecim versus. Quodsi hanc fere sententiam expressam habeamus: illa autem est quae a filio conceperit, Oedipodis mater Iocasta, facilius etiam subaudiri potest: ergo Polynices et Eteocles nunquam honesti. Sic enim Iocastae mentione in fine antistrophae cum vi quadam posita nullo negotio intellegatur quinam liberi (*παῖδες* v. 816) antea sint significati. Eodem modo Orestis nomen in fine strophae J. T. v. 235 positum reperitur.

Lacuna autem quanta fuerit facile suspicari licet stropha antistropham tripodia superante; exitus igitur paulo integriores sic fecisse mihi videor:

στρ. v. 798ª. *χαλκῷ* – ◡ ◡ *κοσμήσας.*
ἣ δεινά τις Ἔρις θεός, ἃ τάδε
μήσατο πήματα γᾶς βασιλεῦσιν
Λαβδακίδαις πολυμόχθοις.

ἀντ. v. 815. *οὐδ' οἱ μὴ νόμιμοι [πατρὸς]*
*παῖδες ματρὶ λόχευμα, μιάσμα[τα]**).
ἃ δὲ συναίμονος εἰς λέχος ἦλθεν
[Οἰδίποδος γενέτειρα].

Ita duce sententia numeroque lacunas, quas metrum procul dubio ostendit, suis locis indicasse arbitror. Ansam enim ad veram huius exitus naturam investigandam dare iudico v. 798 sq.

*) scil. *ἔφυσάν ποτε καλοί.* Cf. Matthiae. adn. ad v.

∾816 sq., qui, nisi quod v. 817 supra modum excedit, prorsus congruunt. Extremi autem antistrophici versus sententiam caligine obrutam et mancam esse supra dixi, ut exitu, cui convenit tripodia potissimum, lacunam trium pedum indicarim, quae quomodo expleta cogitari posset sententiae gratia addidi. Contra quod lacunas in v. 798ª et 815 indicavimus, nulla re nisi responsione ac numero nos esse commotos confitemur, cum per se dactylus et spondeus respondere possint:

χαλκῷ κοσμήσας ∾ *οὐδ' οἱ μὴ νόμιμοι.*

Atque numerum cur corrigamus causam dico, quia tripodia catalectica ferri vix potest in carmine ipso, quod dipodiis singulis percussum videtur. Arguunt enim hanc potestatem inesse versus dipodici, tetrapodici in binas dipodias divisi, caesurae bucolicae, tetrapodiae cum hexametris continuatione coniunctae (cf. p. 3). Sponte vero intellegitur tripodias et pentapodias in mediis severioribus systematis generis paris apud omnes trigicos vitatas esse. In anapaesticis systematis ipsis, vel in liberrimis, tripodiae et pentopodiae non admissae sunt neque in dactylicis ipsis nisi in liberioribus adhibitae inveniuntur, in monodiis dactylicis Phoen. v. 1486, v. 1571 tripodiae, v. 1489, in proodo fere alloeometrica Med. v. 133 pentapodiae. Eiusdem Phoenissarum monodiae v. 1512, Helenae monodiae v. 384, Medeae proodi illius v. 136 non tam huc spectant, quippe quos versus sequantur alloeometrici.

Praeterea nulla exstant exempla in systematis ipsis; nam Andr. tripodia v. 1175 et pentapodia v. 1177 se ipsae invicem corrigunt nulla mutatione, ut infra videbis.

Quae cum ita sint, tripodiae illae in Phoen. v. 798ₐ∾815, si aliud accedit corruptelae argumentum, dubitationi quam maxime obnoxiae sunt, ut cur corrigamus iustam hic habeamus causam.

Neque vero quisquam non videt in tanta quanta praecedit numerorum aequalitate carmen nostrum severissimis choricae responsionis legibus parere. Ne caesurae quidem hexametrorum discrepant neque ulla omnino inaequalitas apparet, nisi quod quinque locis hiatus vel syllaba anceps admittuntur.

Itaque Euripidem etiam in recentioribus fabulis — nam Phoenissarum fabula ol. 92, 3 vel non multum ante scripta est —

canticorum dactylicorum, quae quidem a toto choro cantarentur, responsionem strenue ac severe excoluisse evidens fit.

Minus autem eam curavit in chorico amoebaeo **Supplicum** v. 271—285, quo de diversissimae sunt prolatae sententiae; a coryphaeo enim nulla responsione recitatum statuit Westphalus, a tribus choreutis Hermannus, a quinque Arnoldtus, ab integro choro Hartungus, hi omnes, cum absque dubio carmen sit choricum, responsioni iure faventes, neque vero eidem, sic ut diversa eorum inter choreutas distributio postulat.

Examinemus igitur compositionem et sententiarum conexum.

Initio et in fine carminis quaterni leguntur hexametri incisi omnes post arsin tertiam praeter unum v. 274, quem unicum caesura primaria carentem nescio an Nauckius verborum transpositione: *ὑπὸ Καδμειίοισιν ἀπώλεσα τείχεσι* restituerit.

In medio autem habemus versus alius generis: duos alloeometricos 275 sq., hexametrum acatalectum 277, heptapodiam catalecticam in syllabam vel hexametrum item acatalectum (cf. Hermann. ad Soph. Antig. v. 1294, O. C. v. 515) 278, tetrapodiam catalecticam 280 *οἴκτισαι ἀμφὶ τέκνων μ' ἱκέταν*, denique hexametrum incisum post trochaeum tertium 281 *ἦ τιν' ἀλάταν, οἰκτρὸν | ἰάλεμον οἰκτρὸν ἱεῖσαν.*

Ipsa igitur carminis compositio symmetricam descriptionem certam vel verisimillimam quasi sua sponte ostendit. Quae symmetria in quo posita sit statim exponemus refutata Hartungi conformatione mirifica. Expulsis enim v. 275 sq. in verbi *δειλαίαν* locum supponit *καὶ γέννν* et extendit tetrapodiam v. 280 usque ad hexametrum supplens *σὰν δειλαίαν γραῦν*. Sed ne sic quidem probabilem effecit responsionem: stroph. 271—274. antistr. 277—281. epod. 282—285. Nam sexies dactylo respondet spondeus atque etiam duo acatalecti hexametri catalecticis. Certe si hoc statuere licebit, brevi continget ut omnia sint antistrophica.

Hermannus contra iam recte viderat quattuor hexametros initio positos v. 271—274 epodicis v. 282—285 respondere.

Nec non demonstrat poeta hanc disponendi diligentiam se consulto instituisse eis qui mesodi loco positi sunt versibus 275—281, omnibus generis alius atque antistrophici.

Cuius mesodi primos versus haud scio an Hermannus iure retinuerit, cum sensui conveniant perbene; adhortatae enim se ipsae matres ut procedant supplicatu, his verbis v. 275 sq. descendunt de arae gradibus, ut implorent Theseum. Vide mihi quam apta sit seni descendenti horum potissimum versuum trepidatio.

Nec metro repugnant. Proscripto enim vitioso *κρίνετε* verbo perverso ac supervacaneo legimus tetrapodiam trochaicam fere solutam et pentapodiam iambicam proanaphonemate praefixo:

ἰώ μοι·
λάβετε, φέρετε, πέμπετε
*ταλαίνας χέρας γεραιάς**).

Eodem modo trochaei vel iambi in systemate dactylico proodici loco ponuntur in Phoen. v. 1567 sq. hexapodia et octapodia trochaica, v. 1560 sq. tetrapodiae iambicae.

Quae cum ita sint, nec verba nec metrum ullum iniciunt scrupulum. Verum tamen subinde potest dubitari sintne versus illi ex Hecubae v. 63 sq. huc illati an ab Euripide ipso sic variati. Sed qui exercitatus est in hisce rebus discernendis disceptabit facile, cum praesertim notum sit Euripidem similia saepius ponere.

Dactyli qui secuntur decurrunt uno pedum genere usque ad tetrapodiae catalecticae finem v. 280, quae volubilitas nos paene exaudire facit feminas anxias ac trementes. Qui versus quomodo sint distinguendi nondum constat. Mihi quidem convenientiores videntur trepidationi parvi ordines, dipodiae et tetrapodiae, ut in Phaethontis fragmento supra laudato (no. 775).

Qui mesodum claudit hexameter tanquam transitum facit ad antistropham, ubi choreutae tranquilliore locuntur metro. Ac postquam imploraverunt in mesodo matres Theseum, ut eum filiorum misereret, in antistropha statim pronuntiant quidnam adipisci velint precibus: filii ut sepeliantur (cf. *ἀτάφους* v. 282 et *τάφον* v. 285).

Jam omnia optime procedunt nisi fallor et habemus compositionem mesodicam minime severam, cum respondeat quater

*) Ceterum noli Westphalum secutus utrumque versum pro iambico habere (cf. p. 52 sq.).

dactylo spondeus, quorum unus in nomine proprio v. 282, alius in primo pede v. 273 exstat, in quibus poetas saepius maiorem sibi vindicasse licentiam nemo nescit. Nam nomina propria longiora praesertim saepius vel in stasimis vi quadam versibus adaptari necesse fuit, sicut in eodem numero apud Aesch. in Pers. v. 884∿891 οἷα ∿ καὶ Ῥόδον, v. 885∿892. Cf. praeterea Soph. O. T. v. 153∿161, El. v. 158∿178.

Atque in primo pede reperiuntur violatae huius responsionis exempla item vel in severis chori carminibus dactylicis: apud Aesch. in Ag. v. 104∿122, apud Ar. in Nub. v. 279∿302, v. 282∿305, v. 283∿306, v. 284∿307.

Haec igitur inter trimetros recitata dactylorum systemata fere eadem libertate ad responsionem instituta sunt qua Sophoclis hexametri inter canticorum particulas mixti (cf. Seebass. de vers. lyr. apud Soph. resp. index. p. II 6).

Jam vero perspecta metri compositione videamus quid sit iudicandum de responsione personarum, quae recitaverunt hoc canticum. Quod si ad amoebaeorum aut monodiarum similitudinem est factum, ratio illa componendi libera eo iuvatur, quod τὰ ἀπὸ σκηνῆς item inter se respondere videbimus. Facile autem si quis diligenter animum advertat perspiciat, hoc carmine cum continuentur coryphaei trimetri, coryphaeum eundem pergere, praesertim cum id quod cantici initio adhortatur poeta coryphaeo soli conveniens esse videatur.

Hunc fere in modum Ricardus Arnoldtus in egregio libro qui inscribitur Die chorische Technik des Euripides p. 261 sq. recte disputavit. Quod autem sibi persuasit Euripidem quinque personas commatice canentes fecisse, opinio eum fefellit. Exsistunt enim hoc modo deleto v. 275 sq. quattuor binorum versuum systemata v. 277—285 cum quattuor versuum proodo v. 271—274. Quodsi minus perspicua est aequabilitas in tetrapodia v. 280, corruptae codicum scripturae id imputandum esse putat, ut sic quondam sibi responderint versus:

271—274. 277 sq. 279 sq. 281 sq. 283 sq.
προῳδ. α ‿ α' β ‿ β'

At vero commatica tam discerpta in parvula membra, ex

quo vel gravissimus luctus summaque animi perturbatio elucet, maiore etiam metrorum variatione distincta esse debebant, ut ex numerorum ratione sentiri quodammodo posset personarum vicissitudo. Sic habes in anapaestico Troadum amoebaeo chorico v. 197—229 personarum vices indicatas paroemiacis. Quid? quod Arnoldti primum versuum par in acatalectum exit hexametrum. Nonne haec ratio continuationem indicat? Ac re vera quidem nusquam tam aequale quam Arnoldtus sibi informavit carmen in tantilla systemata distributum invenias.

Sed quidquid de versuum singulorum forma iudicaveris, ipsa singularum dictionum argumenta ei quam descripsit Arnoldtus carminis dispositioni quam maxime adversantur. Nam eundem in eo errasse facile intellegitur, quod primum versuum par v. 277 sq. ab insequenti v. 279 sq. separari iussit, quae versuum paria necessario eidem adsignanda sunt personae. Altera enim choreuta duobus versibus nihil diceret nisi se supplicare; quid autem imploraret reticeret, cum altera eius supplicium statim adiceret. Tam miram profecto dispositionem apud Euripidem me legere non memini.

Sunt etiam alia, quae modo recte constituantur, Arnoldti distributioni obstent. Sed haec nos ad illam ducunt quaestionem, quae est de choreutarum numero, quo de docte ut solet nec non probabiliter disputavit Boeckhius in libro praestantissimo de graecae tragoediae principibus p. 75 sq. Et evincit vir summus chorum constitisse ex matribus caesorum ad Thebas septem ducum earumque famulis. Cuius rei haud obscurum exstat testimonium in stasimo quarto v. 963 sq.

ἑπτὰ ματέρες ἑπτὰ κούρους
ἐγεινάμεθ' αἱ ταλαίπωροι

quae verba cum a quinque matribus cantata esse velit Arnoldtus (l. l. p. 76), confert Eur. I. A. v. 1056, ubi de Thetidis Nereidos nuptiis dicatur πεντήκοντα κόραι Νηρέως, quia hic item undequinquaginta tantum Nereides (praeter Thetin sponsam) saltare potuerint. Sed longe diversa est locorum ratio. Illic enim res narratur, quae quondam fuit; numerus igitur personarum quae commemorantur iis qui spectabant fabulam non ante oculos erat. Itemque in Andr. v. 1267 sq. λαβοῦσα πεντή-

κοντα Νηρῄδων χορὸν ἔλθω narrat Thetis Nereis quid olim factura sit.

Atque Aeschylus quidem in Supplicibus quindecim tantum choreutas in scaenam produxit pro quinquaginta Danai filiabus. Nempe enim non plus quindecim choreutis tum poetae dabantur. Ne tamen nimis exiguus puellarum numerus videretur, addidit Aeschylus magnum famularum comitatum (cf. Hermann. opusc. II p. 325). Et per totam fabulam dedita opera cavit ne numeri puellarum mentionem faceret (cf. Boeckh. l. l. p. 62 sq.).

Aeschylus igitur necessitate quadam coactus pro maiore hominum multitudine minorem usurpare id anxie studuit ne spectatores offenderet. Atque Euripides apud eundem populum nasutum quinque matres ipsas illos Supplicum versus pronuntiantes faceret!

Huc accedunt alia numeri documenta v. 12. 102. 636. 755. 1207. Tum illud quod si quinque tantum matres adfuissent, maior plerumque chori pars tacuisset; nam multo maiorem choricorum partem a matribus esse recitatam facile te legentem docebit Euripides nec non accurate demonstravit Schoenbornus in libro qui inscribitur Die Skene der Hellenen p. 190 sq.

Itaque facere non possum quin Euripidem ut saepius vulgarem fabulam variasse censeam et adstipuler Boeckhio matres omnes adfuisse: Capanei, Eteocli, Hippomedontis, Amphiarai, quamquam Amphiaraus tempore, quod praecedit fabulae, terra devoratus erat, Argivorum, Parthenopaei Arcadii (cf. v. 890), Tydei Calydonii, Eteoclis et Polynicis fratrum Thebanorum, qui omnes apud Argivos maximam sibi pepererunt gloriam (*κλεινοτάτους ἐν Ἀργείοις* sc. *ὄντας* v. 965).

Quae cum ita sint accurata Boeckhii rerum investigatione patefacta, a me impetrare non possum ut eum probem quem Arnoldtus voluit matrum numerum.

Hanc igitur inter quinque choreutas distributionem in Supplicum carmine dactylico ut veri prorsus dissimilem omittamus. Multo etiam probabilior videtur altera distributio, quae est inter tres chori personas. Haec enim ratio sententiarum conexui optime accommodata est et egregie confirmatur metrorum compositione, ut supra memoravi. Qui autem toti choro aut coryphaeo soli attribuunt carmen, Hartungus et Westphalus, nimis Arnoldto obstant. Nam hoc procul dubio recte observavit Arnoldtus crebriores eiusdem sententiae repetitiones ab una persona sola recitatas languidi ac frigidi aliquid habere.

Huic autem incommodo descriptio in tres partes satis occurrit. In quibus omnibus quamquam admodum lamentantur choreutae, attamen in unaquaque propria ac peculiaris profertur sententia: in prima admonentur comites ut supplicent, in altera Theseo quo de implorent matres pronuntiatur, in tertia quid optent. Totum igitur hoc choricum dispertiendum esse in tres partes recte Hermannus animadvertit; num autem quod idem proposuit, tres chori duces cantarint dubitari potest. Certe si v. 275 sq. genuini sunt — et ego quidem non dubito — mesodus septem matribus, quae ab altera chori parte, octo aut potius quinque*) famulis, ut ipsas adiuvent petunt, magis convenit, ut fortassis hanc habeamus structuram:

271—247.	275—281.	282—285.
hemich. dux I.	matres	hemich. dux II

B. Τὰ ἀπὸ σκηνῆς.

Ex iis quae disputavimus apparet quo iudicio nitatur de illorum carminum arte quaestio, quae amoebaea ratione ab actoribus sunt recitata. Atque eandem liberiorem respondendi rationem quae tueri videantur exempla accurate nunc perlustremus. Quorum ex caligine unum ita enitescit, ut inde disputandi sumam initium, dico **Andromachae** exodum v. 1173—1196, quos quamquam laceratos poeta quin inter sese adaequarit singulos nemo adhuc dubitat, cum persona, versuum numerus

*) Mea quidem sententia chorus ex duodecim (7 + 5) constabat personis, ex hemichoriis quinarum choreutarum et duabus hemichoriorum ducibus (5 + 2 = 7), de quo eodem numero cagitabat in Medea Christius (Abh. d. bair. Ak. d. W. XIV p. 196); nam nondum iusta causa in medium prolata est cur non quando priore tempore duodecim cecinerunt choreutae, poeta, si scaenica oeconomia exigebat, ad vetus institutum reverterit. Cf. praeterea Böckh. l. l. p. 75 sqq.

ac ratio maximeque clausulae plane sibi respondeant. Neque vero hi versus qui ad se invicem referuntur soli sunt. Secuntur enim tria stropharum paria item respondentia, atque anapaesti legitimi circumdant carmen universum.

Jam veniamus ad singulorum pedum responsionem. Atque Godofredus quidem Hermannus accuratae singulorum pedum responsioni operam dedit. Neque tamen pedes, qui mensura impares esse videantur, desunt in hoc commatico carmine admodum trepido. Praeter responsionem enim laesam dactyli v. 1180 *δὴ φίλον αὐγὰς βαλὼν τέρψομαι* cum spondeo v. 1193 *ὀλλὰ κεραυνῷ πρόσθεν ὀλέσθαι* iambos aperte corruptos v. 1180 et v. 1187 *καὶ πόλιν ἐμὰν ὤλεσας* leni mutatione recte esse in spondeos *βάλλων* et *ἀμάν*, quamquam dactyli respondent, restitutos mihi quidem persuasum est. Cui rei vel idcirco maior fides adcrescit, quod dactyli in iamborum locum non possunt substitui nisi violentis mutationibus.

Et in amoebaeis cum ob eam ipsam causam, quod in universum non tam severis antistrophicorum legibus adstricta tenentur, tum quod in summa cupiditate maximae animorum perturbationes maiore etiam metrorum discrepantia exprimendae erant, mutationes lenes, quae etiamsi severis responsionis legibus non parent, corruptelae feliciter medentur, in textum recipere non dubitarim, cum quae tueantur responsionem dactyli cum spondeo in strophis liberioribus satis magna suppetat exemplorum copia apud scaenicos poetas. Quare si indolem totius amoebaei respexeris, non modo illos spondeos poetam sibi indulsisse concedes, sed etiam Westphali versuum distributionem collaudabis, qua quamvis spondeus dactylo respondens efficiatur, tamen non modo pentapodia vitiosa v. 1177:

οἰχόμεθ᾽· οὐκέτι μοι γένος οὐκέτι μοι τέκνα

cui respondet ex altera parte tetrapodia 1190:

ὤφελ᾽ ἐμὸν γένος εἰς τέκνα καὶ δόμον

feliciter removetur sed etiam tripodia v. 1175, quae in optimo quidem codice tetrapodiae v. 1188 respondet. Marcianus A enim exhibet in v. 1188: *αἶ αἶ αἶ αἶ ἒ ἔ ὦ παῖ* pro ceterorum librorum tripodia, quae in systemate, quod dipodiis incedere vi-

detur, molestissima est; quam ob rem Schmidtius (in l. Monodien und Wechselgesaenge e. q. s.), Dindorfius (in metris Aeschyli e. q. s.), alii versus in dipodias coegerunt. Rectiorem autem viam monstrat Marcianus.

Quare quoniam eius qui nunc est verborum ordinis falsam esse intellegitur rationem, repositis in suo loco quae reponenda sunt emergit nulla mutatione versuum discriptio haece:

στρ. v. 1174. *καὶ δέχομαι χερὶ δώμασί τ᾽ ἀμοῖς.*
ἰώ μοί μοι, αἰαῖ, ὦ πόλι
Θεσσαλία, διολώλαμεν, οἰχόμεθ᾽·
οὐκέτι μοι γένος, οὐκέτι μοι τέκνα.

ἀντ. v. 1187. *καὶ πόλιν ἀμὰν ὤλεσας — —.*
αἰαῖ αἰαῖ, ἒ ἔ, ὦ παῖ,
μήποτε σῶν λεχέων τὸ δυσώνυμον
ὤφελ᾽ ἐμὸν γένος εἰς τέκνα καὶ δόμον.

Itaque quamquam ne sic quidem omnia restituta esse vides, tamen veri esse quam maxime simile non poteris negare responsionem in commo nostro fuisse liberiorem, ita ut quater dactylo responderet spondeus (v. 1174∾87, v. 1175∾88, v. 1180∾93).

Atque haec neque audacter dicta neque ratione carere persuasum habebis, modo locos quosdam aliorum poetarum compares. Tum etiam vides duorum pedum discrepantiam in v. 1180 *βάλλων τέρψομαι* ∾ v. 1193 *πρόσθεν ὀλέσθαι* excusari thesium contractarum commutatione (hyperthesi); ordine enim spondeorum transposito tamen versus parem brevium ac longarum syllabarum numerum continent, ut externa quidem specie inter sese discrepent, natura autem et vi concordent. Quacum pedum transpositione conferre licet dactylorum commutationem in versibus logaoedicis, cui licentiae favisse videtur prae ceteris Euripides (cf. Westphal. l. l. II[2] p. 731 sq.)*). Nec minus saepe arsium solutarum transpositione in v. trochaicis et iambicis responsio neglecta apud Euripidem excusatur, sicut in Hel. v. 206∾225, v. 1485∾1502, Suppl. v. 604∾614. Nec desunt alii loci

*) Itaque Eur. Bacch. v. 431 scribendum propono: *τ᾽, ἐν τῷδε μένοιμ᾽ αν* pro cod. Palatini scriptura vitiosa *τ᾽ ἐν τῷδε λεγοίμην ἄν* (cf. Wilamowitz. Anal. Eur. p. 49).

in systematis dactylicis, quibus huic responsioni laesae non nihil excusationis additur: Soph. El. v. 158∾178 (cf. Seebass. l. l. p. 7), Ar. Nub. v. 279∾302, v. 282∾305.

Quod denique laesam attinet in ultimo pede responsionem v. 1175∾1188, haec quoque vel in hexametro severi chorici Aeschylei invenitur Ag. v. 111∾129: πέμπει ∾ πράκτορι. Cf. praeterea p. 21.

Est quidem hoc incommodum, quod in systematis dactylicis tractandis saepius paria exempla afferre non possumus, sed eo quod graviora quaedam investigavimus, contenti esse debemus. Habet autem haec ratio in exiguo carminum illorum numero satis excusationis.

Jam veniamus ad **Troadum** partem dactylicam v. 595—606, quos planctus effundunt Andromacha et Hecuba destinatae deduci ad dominos.

Quae praegreditur partis iambicae versuum aequalitas tanta est, ut veri admodum sit simile extremam quoque amoebaei partem responsionis legibus parere, cum praesertim Hecubae primus, secundus, ultimus versus, dum ἀδάκρυτος resecueris, respondeant Andromachae versibus memoria minus depravatis. Responsio autem utrum fuerit accurata an libera in loco tam trunco tantisque maculis inquinato perdifficile est ad diiudicandum. At vero accurata probabilior mihi videtur responsio, quod omnes incorrupti versus sunt integri hexametri dactylici, documentum sane grave et quod spectemus dignum.

Perventum est ad ultimum carmen, de quo in hac quaestione disputare licet, **Phoenissarum** parvum amoebaeum hominis caecati filiisque orbati et Antigonae filiae v. 1539—1566. Et huius quidem cantici unum conformationis antitheticae vestigium exstat manifestum. Exclamatio enim in fine quattuor Antigonae versuum ὦ πάτερ ὤμοι v. 1550 repetitur in v. 1559 post parem versuum numerum eiusdem personae, si Hermannus priore loco interiectionem ὦ recte restituit. Quam ob rem pari etiam pedum numero aegre careamus. Nec vero in responsione quidquam videmus inconditi nisi v. 1557. Nam codicis Leidensis B scripturam ὦ πάτερ in v. 1547 omni ope tuendam esse puto, quod et ipsi metro melius conveniat et magis sit poetica. Illa autem dipodia v. 1557 ξίφεσιν βρίθων non unam ob causam suspecta

est. Neque enim exstat usquam monometrum anapaesticum inter dactylos. Quare metrorum ratio quin ostendat excidisse inter ξίφεσιν et βρίθων sesquipedem, qui ad exaequanda systemata requiritur, dubium esse non potest. Congruentia igitur non violata est nisi in fine versus 1546∾1555: οἴσει ∾ χάρμασιν (cf. p. 20).

Itaque in hoc quoque amoebaeo certas quasdam leges Euripidem secutum esse cernimus, ita ut respondentes versus 1546—1550∾1555—1559 mesodum v. 1551—54 circumcludant. Quae praecedit pars choriambica v. 1539 sqq. proodi et qui secuntur v. 1560 sqq. epodi loco positi esse videntur.

Haec sunt quae habeo de dactylicorum systematum responsione. Praeterea enim systemata dactylica in amoebaeo non adhibentur nisi proodi in Hel. v. 164—166 et epodi loco in Hel. v. 375—385.

Monodica autem systemata mea quidem sententia legibus antistrophicis non sunt adstricta. Orestis enim v. 1005—1011 epodum efficiunt. In quo autem solo plura systemata exstant carmen Phoenissarum v. 1485—1581 in partibus monodicis 1485—1538 et 1567—1581 alloeostrophicum esse nullo negotio perspicias, si scripturas traditas inter se conferas. Quod ut ita statuamus monodiarum potissimum ratio ipsa facit. Constat enim inter omnes monodias recentiores prae ceteris antistrophis caruisse. In his igitur nisi adsunt vestigia poetam voluisse responsionem, non licet antistropha aucupari. Quodsi quaerimus quid sit quod in plurimis monodiis eisque posterioribus prorsus nulla observata sit responsionis lex, proditum reperimus apud Aristotelem in Problematis recentiores monodias ideo legibus antistrophicis non paruisse, quod haec cantica musicae essent recentioris, quae miram quandam metrorum libertatem ac varietatem poposcisse videtur. Sed haec longa disputatio est et curae peculiaris. Ex his tamen quamvis parvulis fore ut satis appareat spero, monodicas partes nostras antistrophis non modo carere, sed etiam caruisse.

Jam omnia brevi complectamur et quod assecuti esse nobis videmur de systematis dactylicis in conspectu ponamus:

Spondeus tantum dactylo respondere potest.

In stasimis responsio non laeditur, in amoebaeis noviens.

in systematis dactylicis, quibus huic responsioni laesae non nihil excusationis additur: Soph. El. v. 158∾178 (cf. Seebass. l. l. p. 7), Ar. Nub. v. 279∾302, v. 282∾305.

Quod denique laesam attinet in ultimo pede responsionem v. 1175∾1188, haec quoque vel in hexametro severi chorici Aeschylei invenitur Ag. v. 111∾129: πέμπει ∾ πράκτορι. Cf. praeterea p. 21.

Est quidem hoc incommodum, quod in systematis dactylicis tractandis saepius paria exempla afferre non possumus, sed eo quod graviora quaedam investigavimus, contenti esse debemus. Habet autem haec ratio in exiguo carminum illorum numero satis excusationis.

Jam veniamus ad **Troadum** partem dactylicam v. 595—606, quos planctus effundunt Andromacha et Hecuba destinatae deduci ad dominos.

Quae praegreditur partis iambicae versuum aequalitas tanta est, ut veri admodum sit simile extremam quoque amoebaei partem responsionis legibus parere, cum praesertim Hecubae primus, secundus, ultimus versus, dum ἀδάκρυτος resecueris, respondeant Andromachae versibus memoria minus depravatis. Responsio autem utrum fuerit accurata an libera in loco tam trunco tantisque maculis inquinato perdifficile est ad diiudicandum. At vero accurata probabilior mihi videtur responsio, quod omnes incorrupti versus sunt integri hexametri dactylici, documentum sane grave et quod spectemus dignum.

Perventum est ad ultimum carmen, de quo in hac quaestione disputare licet, **Phoenissarum** parvum amoebaeum hominis caecati filiisque orbati et Antigonae filiae v. 1539—1566. Et huius quidem cantici unum conformationis antitheticae vestigium exstat manifestum. Exclamatio enim in fine quattuor Antigonae versuum ὦ πάτερ ὤμοι v. 1550 repetitur in v. 1559 post parem versuum numerum eiusdem personae, si Hermannus priore loco interiectionem ὦ recte restituit. Quam ob rem pari etiam pedum numero aegre careamus. Nec vero in responsione quidquam videmus inconditi nisi v. 1557. Nam codicis Leidensis B scripturam ὦ πάτερ in v. 1547 omni ope tuendam esse puto, quod et ipsi metro melius conveniat et magis sit poetica. Illa autem dipodia v. 1557 ξίφεσιν βρίθων non unam ob causam suspecta

est. Neque enim exstat usquam monometrum anapaesticum inter dactylos. Quare metrorum ratio quin ostendat excidisse inter ξίφεσιν et βρίθων sesquipedem, qui ad exaequanda systemata requiritur, dubium esse non potest. Congruentia igitur non violata est nisi in fine versus 1546∾1555: οἴσει ∾ χάρμασιν (cf. p. 20).

Itaque in hoc quoque amoebaeo certas quasdam leges Euripidem secutum esse cernimus, ita ut respondentes versus 1546—1550∾1555—1559 mesodum v. 1551—54 circumcludant. Quae praecedit pars choriambica v. 1539 sqq. proodi et qui secuntur v. 1560 sqq. epodi loco positi esse videntur.

Haec sunt quae habeo de dactylicorum systematum responsione. Praeterea enim systemata dactylica in amoebaeo non adhibentur nisi proodi in Hel. v. 164—166 et epodi loco in Hel. v. 375—385.

Monodica autem systemata mea quidem sententia legibus antistrophicis non sunt adstricta. Orestis enim v. 1005—1011 epodum efficiunt. In quo autem solo plura systemata exstant carmen Phoenissarum v. 1485—1581 in partibus monodicis 1485—1538 et 1567—1581 alloeostrophicum esse nullo negotio perspicias, si scripturas traditas inter se conferas. Quod ut ita statuamus monodiarum potissimum ratio ipsa facit. Constat enim inter omnes monodias recentiores prae ceteris antistrophis caruisse. In his igitur nisi adsunt vestigia poetam voluisse responsionem, non licet antistropha aucupari. Quodsi quaerimus quid sit quod in plurimis monodiis eisque posterioribus prorsus nulla observata sit responsionis lex, proditum reperimus apud Aristotelem in Problematis recentiores monodias ideo legibus antistrophicis non paruisse, quod haec cantica musicae essent recentioris, quae miram quandam metrorum libertatem ac varietatem poposcisse videtur. Sed haec longa disputatio est et curae peculiaris. Ex his tamen quamvis parvulis fore ut satis appareat spero, monodicas partes nostras antistrophis non modo carere, sed etiam caruisse.

Jam omnia brevi complectamur et quod assecuti esse nobis videmur de systematis dactylicis in conspectu ponamus:

Spondeus tantum dactylo respondere potest.

In stasimis responsio non laeditur, in amoebaeis noviens.

Atque sex spondei discrepantes excusati habentur, unus nomine proprio, alter pedum transpositione, quattuor versus loco (tres in fine, unus initio versus).

Monodica sola ad responsionem non facta sunt.

Syllaba anceps et hiatus in fine versus admittuntur ubique, in mediis versibus non nisi in voculis exclamatis et ante verbum vi quadam repetitum.

Tripodiam et pentapodiam in partibus antistrophicis sibi non indulsit poeta nisi in fine systematis.

II. De versuum dactylicorum in strophis alloeometricis responsione.

Systematum dactylicorum quam vidimus responsio eo iuvatur, quod qui inter carmina alloeometrica ponuntur versus dactylici eisdem responsionis legibus constricti tenentur. Ac reperiuntur versus dactylici ad responsionem facti in strophis dactylotrochaicis, dactyloepitritis, logaoedicis, anapaesticis liberis, iambicis, dochmiacis. Nec usquam discrepantes habent pedes in strophis logaoedicis, iambicis, (cf. p. 6. sqq.), dochmiacis. In strophis autem anapaesticis dactylis respondent spondei in hexametrorum paribus Hec. v. 73 sq. ∾ 90 sq. et in strophis dactylotrochaicis duobus locis: Andr. v. 135∾141, Hipp. v. 1120∾1131, item hexametris. Quorum unus Andromachae versus nomine proprio excusatur, sicut Rhesi versus 899∾910 tetrapodia catalectica dactylica, dummodo *προλιποῦσα* veram restituerit scripturam: *ἅ θ' Ἑλένα προλιποῦσα δόμον*.

Pauca sunt fatemur exempla, at sufficiunt tamen coarguisse in tanta quanta est apud Euripidem versuum dactylicorum penuria, spondeos dactylis respondentes poetam admisisse.

In contrariam partem diiudicandum est de trochaeo, qui dactylo respondet in versibus dactylicis. Quamquam apud Euripidem trochaei in versibus dactylicis nonnunquam admittuntur

non modo trochaeis respondentes sed etiam spondeo in Med. v. 629 sq. ∾ 637 sq.: – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓ – ⏑ ⏑ – ⏑⏑ –, tamen in quibus exhibentur versibus locum non habere trochaeos respondentes dactylis mihi quidem persuasum est. Delitescunt enim in strophis logaoedicis. Illud autem Medeae exemplum exstat in stropha dactyloepitrita, cuius in v. dactylico ut trochaeus responderet spondeo dactyloepitriti regnantes effecisse videntur. Versuum enim dactyloepitritorum tripodiae dactylicae persaepe ultimam admittunt ancipitem (cf. Med. v. 413 sq. ∾ 425 sq., 824∾835, Soph. O.T. v. 1095 sq. ∾ 1106 sq., Ar. Pax v. 775∾797, Ran. v. 676∾707, Christ. l. l. p. 583 sqq.). Quodsi v. dactylicos in stropha dactyloepitrita eodem modo tractatos esse putamus quo dactyloepitritos, egregie non modo stabibitur et probatur, sed etiam declaratur et explicatur responsio laesa in Medeae versu supra laudato. Perspici igitur potest choreum in versu dactylico strophae dactyloepitritae cum ipsum nullam praebere offensionem tum spondei vicem sustinere posse, sed inde concludere non licere in alius strophae versu dactylico item admitti trochaeum.

At ne iusto diutius in hac commoremur quaestione, revertamur ad trochaeos respondentes dactylis. Qui in J. T. v. 1134∾1149 occurrit locus labem contraxit perniciosam, sed vitium videtur reparabile. Quare paulo longius hic versemur. Ac primum quidem ante oculos ponam locum ut legitur in melioribus codicibus neglectis quibusdam minutiis orthographicis:

*στρ. ἀέρι δ' ἱστία πρότονοι *) κατὰ*
πρῷραν ὑπὲρ στόλον ἐκπετάσουσι πόδα
ναὸς ὠκυπόμπου.

ἀντ. εἰς ἔριν ὀρνυμένα πολυποίκιλα
φάρεα καὶ πλοκάμους περιβαλλομένα
*γένυσιν **) ἐσκίαζον.*

Quae si examinaveris eis ductus descriptionibus, quae passim

---

*) cod. Palatinus B *πρότονος*.

**) Hoc loco si scribis *γένυας*, sententia restituta nec responsio disturbata; nam magnam exstare exemplorum copiam eiusmodi, ut trochaeus respondeat tribrevi in v. trochaicis apud Euripidem, in particula altera videbis.

de navium compositione et instrumentis traduntur memoriae, difficultates invenies maiores quam quae probabiliter expediri possint. *Πρότονοι* enim sunt magni funes, qui a summo malo proram versus alligati malum sustinent*), *πόδες* autem vocabulum proprie navale funes, quibus inferiores veli anguli puppim versus adducuntur (cf. Seidler. ed. ad v. 1104, Böckh. Urkunden des att. Seewesens p. 147. 153, Graser. das Seewesen des Altertums. Philologus Suppl. III 2 p. 243 sq. 254, Breusing. die Nautik der Alten p. 52 sq. 55. 58 sqq.).



Quae cum ita sint et permultis veterum testimoniis confirmari possint (cf. imprimis Apoll. Rhod. lib. I v. 563 sq., schol. Apoll. Rhod. ad lib. I v. 564. 566, schol. Eur. Hec. ad v. 112, Eustath. Od. *β* p. 1452 v. 56.; schol. Eur. Or. ad v. 706, schol. Ar. Equ. ad v. 434), mirum sane videri possit quod unus Euripides J. T. v. 1134 pro pedibus utatur verbo *πρότονοι* eoque loco, quo pedis notionem (*πόδα* v. 1135) simul inferat.

Putant igitur *πόδα* in hoc Euripidis loco non significare id quod vulgo existimant, sed accipi pro velo; alii scribunt *πόδες* vel *πόδες τε*. Sed remanet in utraque coniectura scrupulus, quem movet *πρότονοι* vox. Placet autem in redintegrando loco a versu Euripideo proficisci, quo eiusdem verbi *πρότονοι* mentio inicitur, dico Hecubae v. 112:

τὰς ποντοπόρους δ' ἔσχε σχεδίας
λαίφη προτόνοις ἐπερειδομένας,

qui cum facilior sit perspectu, tanquam veri obrussa adhibeatur.

*) qui puppim versus alligati erant funes in universum procul dubio eodem protonorum nomine erant induti (cf. testimonia supra laudata); distinctius autem *ἐπίτονοι* vocati sunt, quod nomen Graserus et Breusingus iure usurpant.

Navis supra depicta in gemma servata est et typis expressa in Graseri diss. Die Gemmen des königl. Museums zu Berlin mit Darstellungen antiker Schiffe fig. I, in quo libro naves etiam vides multas et remis et velo magno actas.

Ibi vela protonis inniti dicuntur quippe a summo malo proram versus extenta. Neque vero protono inniti dici potest velum, nisi aut ventus adversus aut navis in tranquillo est, ut Hecubae loco; tum velum aut laxum in protono dependebat aut convolutum vel contractum ex eo loco haerebat, quo protoni ad malum alligati erant. Verum vento pone adflante velum de protono supra proram atque etiam nonnunquam secundum proram supra rostrum navis celerrime euntis expandebatur.

Ex his vel apparet quid sit iudicandum de coniectura Seidleri scribentis *ἱστία πρὸ προτόνου . . . ἐκπετάσουσι πόδες*. Neque enim repugnare rationi nauticae eam videmus; at vero quoniam *ἱστία* non nisi ante mali funem, protonum, erant et in cursu et in portu, haec mentio admodum supervacanea videtur.

Adde quod duplex *προ* non modo non bene sonat, sed etiam cum hoc producatur, illud corripiatur, tolerari vix potest. Quae enim exstant eiusmodi exempla omnia aegre crediderim non consulto facta, ut audientium animi contraria illa ac varia mensura magis concitarentur.

Etiam minus placet quam Bergkius (Mus. Rhen. vol. XVIII p. 218) supplevit praepositio *πάρ*, quasi velum apud mali funem esset, etiamsi expandebatur ‚*κατὰ πρῷραν ὑπὲρ στόλον*' vento inflante. Accedit aliud argumentum, unde sententiae nostrae sustentandae petamus praesidium, quod positum est in *παρὰ* praepositionis apocope ante consonam vocabuli sequentis. Haec enim apocope apud epicos usitatissima a tragicis non usurpatur nisi in Aesch. Eum. v. 229 trimetro, ubi tamen Porso *παρὰ* recte restituisse videtur. Nam in Trachiniarum v. 636 *πὰρ λίμναν* e coniectura scriptum invenitur in codicibus Triclinianis, quam eo minus teneam, cum vel apud Homerum ante *λ* sequentis verbi *πάρ* rarissime reperiatur*). Sed de hoc versu alias disserendi erit locus. Res quidem ut mea fert opinio ita se habet, ut per Euripidem non liceat *πάρ* ante consonam sequentis vocabuli in textum inferre.

Sed quidquid in illam unius syllabae lacunam inseremus, verbum *πρότονοι* subiectum esse non posse optime viderunt viri docti, unde efficiebatur *πόδες* esse restituendum, cum de

*) nisi egregie fallor uno certo loco *σ* 343.

verbo ἱστία valeret regula, quam commemorat Porso ad Hecubam p. 95, veteres Atticos licentiam ut plurale verbum neutri plurali subicerent nunquam usurpasse; quam pauca quae obstent exempla singulari ratione stabilire potius quam convellere (cf. Kuehner. Gram. gr. II p. 58 sq.).

Neque mirum quod vela pedibus expandi dicuntur, cum nautae pedibus velum gubernent eorumque auxilio velum aut retrahatur vento contrario aut explicetur secunda navigatione. Quare quoniam pedibus velum derigebatur, pedes erant tanquam veli gubernatores. Quanto igitur fortius ventus pone adspirabat, tanto longius producebant pedes velum. Iphigeniae igitur loco quasi via monstrata videtur, quam ut velum in protono dependens faciat vento magis magisque premente permittunt pedes. Itaque ni fallor dictum fuit velum nave soluta ac funibus pedetemptim relaxatis explicatum iri inde a protono, apud quem nave quiescente haerebat, secundum proram, supra rostrum. Quae si fuerint in contextu, protoni mentio optimum habeat locum. Hinc conicio scribendum esse:

ἀέρι δ' ἱστί' ἀπὸ προτόνου κατὰ
πρῷραν ὑπὲρ στόλον ἐκπετάσουσι πόδες
ναὸς ὠκυπόμπου.

In hoc igitur loco dubitari potuit utrum poeta aliquanto plus licentiae sibi sumpsisset an depravatae librorum memoriae id imputandum esset quod responsionem laedit, nisi sententia de corruptela nos edoceret; in eo autem ad quem nunc accingor loco responsio violata quin emaculanda sit etiam minus quisquam opinor dubitat. Legimus enim in Electra v. 168:

ἤλυθον, Ἠλέκτρα, ποτὶ σὰν ἀγροτέραν αὐλάν

cui respondet in antistropha v. 191:

καὶ παρ' ἐμοῦ χρῆσαι πολύπηνα φάρεα δῦναι.

Quos cum Buchholtzius (l. l. p. 14) cyclios ducat hexametros, sic metiri videtur:
– ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – –
– ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑ – –
vel admisso mendo *ἀγρότεραν*. Cf. Kuehner. l. l. I §. 106. 1 ζ.

Quam ob rem quoniam adiectiva in *-ερος, -ερα, -ερον* desinentia ultimam feminini non corripiunt, alio confugiamus.

Atque Augustus quidem Seidlerus, quod Plutarchus in Lysandro cap. 15 hunc versum laudans *ἀγρότειραν* dicit, recipiens *ἀγρότειραν* et post *πολύπηνα* inserens *τε* metiri videtur:
– ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –
– ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑⏑⏑ – –.

Videamus igitur quid sit iudicandum de hoc adiectivo semel dicto *ἀγρότειρα* derivato ab *ἀγροτήρ*. Proparoxytona enim in *-ειρα* exeuntia, quae a masculinis in *ηρ* vel *ης* et *ωρ* derivata sint, apud veteres auctores non usurpantur nisi de personis aut quae personarum loco cogitari possint notione masculinorum transitiva non mutata; quod ut luculentius appareat, exempla adscribo omnia *Hom.* Il. *ἀντιάνειρα Ἀμαζόνες* (Pind. *στάσις*), *βωτιάνειρα Φθία, δμήτειρα Νύξ, κυδιάνειρα μάχη, ἀγορή, πουλυβότειρα χθών* (Od., Hes.), Od. *δρήστειρα**), *ληιβότειρα σῦς*, Batr. *ὀλέτειρα*, Hymn. *παμμήτειρα, πρέσβειρα* (Eur.). *Hes. εὐκηλήτειρα, δότειρα* (Pind.). *Pind. γενέτειρα* (Eur.), *ἐλάτειρα, μνήστειρα ὀπώρα, σώτειρα* (Eur.). *Aesch. ἀνδρολέτειρα ἄτη, βαρυδότειρα Μοῖρα, εὐνήτειρα, κτεάτειρα νύξ, μάστειρα, τινάκτειρα τρίαινα. Soph. δεσπότειρα, τεκνολέτειρα ἀηδών. Eur. θρέπτειρα, παιδολέτειρα, ὀλβοδότειρα εἰρήνη, συγγενέτειρα, συλήτειρα δόρκη, τελεσσιδώτειρα Μοῖρα, ὑπνοδότειρα νύξ.* Quo ab usu inveterato recentiores non valde recesserunt.

Quae cum ita sint, non verisimile est nec probabile Euripidem scripsisse *ἀγρότειραν αὐλάν*. Neque nimis auctoritatis tribuamus Plutarchi libris, quos, cum loco citato simul bis trochaeo respondeat dactylus, vitio metrico laborare in aperto sit.

Si quid ipse video, Euripides versui dactylico paeonicum inseruerat pedem cyclium, qui quidem numerus cum generis paris numero consociari solet (cf. Christ. Metr.[2] p. 226 sq., p. 76**)), ut verbi *φάρεα* prima corriperetur, sicut apud Eur. in Phoen. v. 324 dochm., Herc. fur. v. 414 troch., El. v. 1231 iamb., Suppl. v. 286, El. v. 543, v. 1221 trim., Andr. v. 831 dip. dact., Or. v. 840 tetrap. dact., Hipp. v. 123 dact.-paeon., neque tamen usquam

---

*) quibus nihil additum est substantivorum modo usurpata sunt simplici masculinorum notione retenta.

**) Adde exemplis Soph. fr. 427 W. v. 3 *βριθομένα γλυκερὸν φάος ὁρῶσα*, trag. inc. fr. 211 W. v. 1 *τὸ θεῶν δὲ κράτος μέγα κατ ἀνθρώπους.*

in hexametris excepto dativo *φαρέεσσι* apud Hesiodum et Apollonium Rhodium. Ac verum duco hoc:

ἤλυθον, Ἠλέκτρα, ποτὶ σὰν ἀγροτέραν αὐλάν =
καὶ παρ᾽ ἐμοῦ χρῆσαι πολύπηνα φάρε᾽ ἐνδῦναι.

Apud tragicos enim nusquam *δύειν* de veste induenda usurpatur, sed semper *ἐνδύειν*.

Sed haec hactenus de trochaeis, quos dactylis in versibus dactylicis nusquam respondere vidimus. Praeterea nil nisi anacrusis et ultimae syllabae distant.

Atque anacruses irrationales esse nemo erit qui negarit. Quid igitur multa? Satius duco exemplum oculis subicere, Med. v. 627∾635: *ἔρωτες ὑπὲρ μὲν ἄγαν ∾ στέργοι δέ με σωφροσύνα*, quod exstat initio strophae dactyloepitritae, ut v. dactyloepitriti anacrusi ancipiti praefixa: Med. v. 410∾421, v. 824∾835, Rhes. v. 224∾233, Andr. v. 1027∾1037, qui illud singulare exemplum satis stabiliunt.

Etiam levioris sunt momenti ultimae quae discrepant syllabae, quas habes gravi interpunctione: Andr. v. 482∾490 tetr. cat., Tro. v. 589∾593 trip. cat., nulla gravi interpunctione: Andr. v. 119∾128 hexam., J. T. v. 1135∾1150 pentap. cat., Andr. 137∾143 tetr. cat. Quod hexametri heroici ultima anceps invenitur, apparet ex ipsius natura catalectica. In reliquis autem versibus anceps syllaba non admissa videtur nisi in v. catalecticis, quippe quos pausa sequeretur. Sed quoniam illum Iphigeniae locum e sententia laborare et corrigendum esse vidimus (p. 23 sqq.), hunc Andromachae versum 137∾143 nescio an Hermannus redintegraverit lenissima vel nulla mutatione *πόλεος* formam apud Euripidem tritissimam versui sequenti adscribens*), ut habeamus tripodiam dactylicam et trimetrum trochaicum. Quae descriptio minuta quadam re, qualis est eurhythmia, maxime comprobatur. Nam versuum dispositio numerosa non modo non dissolvitur Hermanni mensura, sed etiam concinnior atque elegantior evadit; quare bene mirere quod qui eurhythmiae student eam non amplexi sunt. Ecce insignis ordinum concinnitas:

*) Nauckius in editione III. iam Hermannum secutus est.

6	– ◡ ◡	– ◡ ◡	– $\overline{◡◡}$	– ◡ ◡	– ◡ ◡	– –
4	– ◡	– ◡	– ◡	–		
3	– ◡ ◡	– ◡ ◡	–			
6	◡ ◡ ◡	⌞	– ◡	– ◡	– ◡	–
4	– –	– ◡	– ◡	–		
ἐπ. 4	– – ◡	– ◡	⌞	–		

His de locis dicendum erat. Alii versus dactylici iam persanati sunt, ut congruant. Restat ut quid in universum effecisse nobis videamur brevi comprehendamus.

Dactylici igitur versus, qui cantabantur inter alloeometricos mixti, severissimis responsionis legibus sunt adstricti; nusquam enim respondet dactylo trochaeus vel tribrevis, quinque tantum versibus, si Rhesum una cum Euripidis fabulis complectimur, spondeus. Atque spondeo versus dactylici trochaeus non respondet nisi in stropha dactyloepitrita. Item anacrusis tantum in stropha dactyloepitrita discrepat. Ultimae autem syllabae nisi in fine sententiae aut versuum heroicorum positae accuratae responsionis legibus parent.

Versus anapaestici.

I. De legitimis anapaestorum systematis.

Jam de legitimis anapaestorum systematis disputaturo liceat facere initium ab iis qui in tragoedia ipsa primum obtinent locum. Recitabantur autem anapaesti primo loco in Euripidis fabulis aut a coryphaeo orchestram intrante, quod tamen genus Euripides non iam adhibuit praeter duas Hecubae et Alcestidis parodos, aut ab actore primum in scaenam procedente, quos fere omnes melicum carmen subsequitur. Deinde certa in orchestra sede occupata nuntiare solet chorus anapaestis, qui plerumque uno absolvuntur systemate, novam ingredi personam aut histrionem aliquem e scaena decedere. Interposita etiam inveniuntur anapaestorum systemata legitima inter carminum melicorum strophas et antistrophas, ut leniretur animorum tumultus. Denique severioribus legibus adstrinxit anapaestos Euripides in totius fabulae exitu, quo anapaesti canticum ultimum sequi solent. Quod anapaestorum genus propter compositionis similitudinem statim adiciam in primo cantico positis.

A. Anapaesti in primo et ultimo cantico positi.

Primum anapaestorum genus esse statuimus eorum qui, cum post prologum chorus in orchestram esset progressus, recitarentur a coryphaeo. Euripides enim id novasse videtur ut hi anapaesti iam non chori ingressum terminarent, sed choreutis dispositis a chori principe pronuntiarentur, licet carmen quod

praecedit eisdem numeris sit compositum, quod in Hecuba factum cernimus.

Ac primum quidem de anapaestis in **Hecubae** parodo recitatis v. 98—153 perpauca moneamus. Habemus enim systemata severioribus legibus accommodata quinque, quae quod sunt inter se imparia, nullam tibi efficient admirationem, si memineris ne Aeschylum quidem in parodo anapaestorum compositioni antistrophicae favere, quod Hephaestionem cognovisse supra commemoravi (p. 1 sq.).

Huc etiam referenda sunt fragmenti 475 quattuor systemata imparia (cf. Welcker. Die grie. Tragödien etc. Mus. Rhen. a. 1839. II p. 801).

Omissa Alcestidis parodo, quam infra p. 43 sq. sum tractaturus, accedamus ad alterum anapaestorum genus, quo actores, qui primum in scaenam prodibant, utebantur. Cuiusmodi systematum usus latius patet; leguntur enim in Troadibus, Jone, Medea, Hippolyto, Iphigenia Aulidensi, Rheso, quae plerumque ita sunt instituta, ut non ab actoribus tantum, sed a choreutis et histrionibus alterna vice cantarentur, rarius ita, ut actores ea exciperent monodias recitantes. Et haec quidem systemata monodiarum initio sunt posita, quorum numerus cum intrantis maxime motui se accommodaret, idoneus erat qui canticum primum inciperet, sicut carmina embateria eodem numero componebantur. Symmetriae autem ratione habita epodus eisdem legibus severioribus applicata est quibus proodus in Alcestide et Troadibus.

Ac **Troadum** planctus primus v. 98—234 a legitimis incipiens versibus finitur legitimis tribus stropharum paribus interiectis. Quae in exordio posita est periodus legitima tria continet systemata v. 98—121; unum autem chori systema v. 230—34 epodum efficit.

Et in prioribus quidem illis versibus ratio antisystematica quin se offerat cuivis inspicienti fieri non potest. Qualis autem sit statim explicabimus, postquam locum emacularimus. Etenim v. 114 ut in libris scriptus est:

νῶτ᾽ ἐν στερροῖς λέκτροισι ταθεῖσα

corruptum esse vel metrum vitiosum ostendit; *ταθεῖσα* enim

pede superat dimetrum, cui vitio metrici dubitaverunt mederi elisione, quam ante exclamationem, quippe qua sermonis pausa requiratur, num admiserit Euripides in fine anapaestici legitimi adhuc dubium, nisi quod in aequabilioribus metris, deverbiis, systematis dactylicis, trochaicis, iambicis, nullum exstare exemplum eiusmodi constat. Suo igitur iure expunxit Seidlerus verba *νῶτ᾽ ἐν*, quae librarii errore *νῶτον* ex v. 11 huc transcribentis illata esse putabat. At librarii oculos tam longe aberrasse caret probabilitate; magistellos autem quamvis sciolos non adscribere quo non indiget sententia monet Matthiaeus. Melius igitur Hermannus (opusc. vol. VIII p. 206) deleri iussit vocabulum *λέκτροις* ut librarii interpretamentum, quo facile supersedeamus, cum praesertim *λέκτρον* apud Euripidem non dicatur nisi de re matrimoniali praeter Hel. v. 1261.

Nunc etiam versu ita scripto:

νῶτ᾽ ἐν στερροῖσι ταθεῖσα

de antisystematica totius loci ratione quomodo iudicari debeat in aperto est. Jam enim habemus binorum systematum periodum palinodicam hanc:

$7 \quad 4\frac{1}{2} \quad 4\frac{1}{2} \quad 7$

etiam sententiis bene distinctam et verborum delectu indicatam. Quod enim in primo versu legitur verbum *κεφαλήν* in antisystematis versu respondenti repetitur: *οἴμοι κεφαλῆς*.

Idem est initium primi cantici **Jonis**. Jonis enim monodia v. 82—183 incipit a quattuor systematis legitimis v. 82—111, quae quod sunt inaequabilia mirum videri possit. Neque vero hoc ipsum carmen, cuius ad sonum ministrorum chorus progreditur, parodicorum legibus constrictum teneri absonum sit cogitare, quia parodus propria deficit.

Quibus rebus expositis satis probasse mihi videor anapaestos in monodiis recitatos, quidquid de Jonis loco animum inducis, fuisse nonnunquam relatos ad antristrophicorum rationem.

Deinceps disputandum est de anapaestis, qui a personis in scaenam progressis alternatim recitantur.

Qui in **Iphigeniae Aulidensis** exordio ante prologum, nisi adnumeres prologo ipsi, positi sunt anapaesti v. 1—48 tria efficiunt

systemata nulla symmetrica conformatione; quae cum iure ab Euripide abiudicata videantur non plura erunt dicenda.

Accedimus ad **Hippolyti** fabulam, in qua anapaestos generis eorum qui recitantur ubi nova persona in scaenam processit v. 170—175, secuntur amoebaea Phaedrae insanientis et nutricis mitigantis hypermetra sex haec:

T.	*Φ T.*	*Φ*	*T*	*Φ*	*T*	*Φ*	*T.*	*Φ.*	*T.*
$14^*.\ 7^*$	$9\frac{1}{2}^*$	$4\frac{1}{4}$	$2\frac{1}{2}$	7	5	4	7^*	$10\frac{1}{2}^*$	$15\frac{1}{2}^*$
$4\frac{1}{2}+4\frac{1}{2}+5^*$	$5+4\frac{1}{2}^*$			$3\frac{1}{2}+3\frac{1}{2}$			$4+3^*$	$3\frac{1}{2}+7^*$	$1\frac{1}{2}+6+2\frac{1}{2}+3+2\frac{1}{2}^*$

Nulla igitur singularum particularum apparet responsio antisystematica, licet in systematis ipsis symmetria bis terve sit conspicua (cf. Christ. Metr.[2] p. 263).

Commatum autem inaequalitas vel ex eo elucet, quod partim sunt catalectica (asterisco notata), partim acatalecta.

Ac ne ad legitima quidem omnia Phaedrae verba se applicant, quod tamen hoc loco, quo summa animi perturbatio depingitur, nullam movet suspicionem, praesertim cum dialectus dorica in Phaedrae verbis ostendat insanientis orationem esse multo liberiorem quam nutricis et poetam aequabilitatem inter personarum commata consulto omisisse.

Paulo artificiosius chorus anapaestis commaticis in orchestram adducitur ita, ut carmina melica inserantur, id quod in **Medea** v. 96—212 factum videmus. Ibi enim Medeae et nutricis systematis proodus v. 131—137, stropha v. 148—159, antistropha v. 173—183, epodus v. 204—212 chori admiscentur. Quibus strophis alloeometricis commotus Westphalus (Metr. gr. II[2] p. 417) hanc eruit structuram:

προῳδ. 2 Hyp. *στρ.* 2 Hyp. *ἀντ.* 1 Hyp. *ἐπῳδ.*

quasi anapaesti systematum numero responderent, ita ut perinde esset quot versus systema quodque amplecteretur. Eiusmodi responsio nulla est in hoc metro, quod non excellere potest nisi systematum aequalitate, cum versus omnes in systemate sint consimiles excepto ultimo.

Etenim periodus ante stropham continet quinque nutricis

versus et quattuor Medeae, ante antistropham autem legimus octo Medeae versus, quos quinque nutricis excipiunt; personae igitur inverso ordine repetuntur et nutricis tantum versuum numerus idem, quod eo consilio, ut responderent versus, a poeta ita esse factum equidem abnuerim. Facilius quis cogitare possit de responsione a poeta instituta inter v. 111—114 et 144—147, quibus idem proanaphonema sit praemissum. Sed haec parvularum partium ratio antisystematica in periodis legitimis singularis est. Nam de qua cogitabat Stippelius (Zur antistroph. Responsion d. anap. Hyperm. bei Soph. u. Eur. p. 26) responsio inter Hipp. v. 198—202 et 203—7: 5 = $4\frac{1}{2}$ vel eo refutatur, quod unum hypermetrum efficiunt versus; nimirum acatalectum est Phaedrae comma, catalecticum nutricis*).

Quae cum ita sint, in anapaestis legitimis commaticis Euripides nullam affectasse videtur responsionem antisystematicam, id quod cum amoebaeorum indole apprime convenit.

Diversa est ratio eius qui **Rhesi** parodum composuit v. 1—51, cuius initio qui anapaesti cum chori introitu coniuncti a choreutis alternantur v. 1—6 dividuntur sententia in duas trinorum versuum partes has:

Βᾶθι πρὸς εὐνὰς
τὰς Ἑκτορέους τις ὑπασπιστῶν
ἄγρυπνος βασιλέως ἢ τευχοφόρων.

δέξαιτο νέων κληδόνα μύθων
οἳ τετράμοιρον νυκτὸς φυλακὴν
πάσης στρατιᾶς προκάθηνται.

quarum utramque a singulis parastatis recitatam esse vult R. Arnoldtus l. l. p. 170 sqq., quo loco de hac parodo diserte nec non eleganter disputavit. Post hanc proodum bipartitam deinceps coryphaei, ut cum Arnoldto faciamus, systemati v. 7—10 respondet Hectoris v. 11—14. Postea duos versus personarum vice bipartitos:

*) Ceterum si quis ad sententiarum symmetricam quae videtur conformationem animum advertat adeat Bartholdi lusum ingeniosum in progr. quod inscr. Krit. Bemerkungen z. d. Prol. u. d. Parodos d. Medea. 1885.

ΧΟ. φύλακες στρατιᾶς. ΕΚ. τί φέρει θορύβῳ;
ΧΟ. θάρσει. ΕΚ. θαρσῶ.

sequiter alterum Hectoris systema sex versuum:

v. 17 sqq. *μῶν τις λόχος ἐκ νυκτῶν; τί σὺ γὰρ**)
φυλακὰς προλιπὼν κινεῖς στρατιάν;
εἰ μή τιν᾽ ἔχων νυκτηγορίαν; e. q. s.

quod v. 34—40, qui stropharum pari alloeometrico circumdati sunt, repetitur; nam verba *φυλακὰς δὲ λιπὼν κινεῖς στρατιὰν* v. 37 sq. editores iure de interpolatione suspecta habuerunt, cum in v. 18 tantulo intervallo antea fere eadem scripta legerentur verba: *φυλακὰς δὲ λιπὼν κινεῖς στρατιάν* (cf. Wesener. de repetitione versuum in fab. Eur. p. 24).

Quod ád antistrophicam eorum rationem, accurata quidem responsio non apparet. Videtur enim qui Rhesum contexuit monometrum ad comparationem cum dimetro fecisse, ut quadret in hunc locum Westphali observatio de responsione monometri et dimetri (Metr. gr. II² 177 sqq.) et habeamus responsionem antisystematicam inter v. 7—10∾11—14, v. 17—22∾34—40 in hac forma symmetrica:

ΠΑΡ.	ΚΟΡ.	ΕΚ.	ΚΟΡ.	ΕΚ.	ΚΟΡ.	ΕΚ.	ΕΚ. *στρ.*	ΕΚ. *ἀντ.*
$5\frac{1}{2}$ ($2\frac{1}{2}+3$)	4	$3\frac{1}{2}$	$\frac{1}{2}$	$\frac{1}{2}$	$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{4}$	$5\frac{1}{2}$	6

Quae si recte sunt explicata, imitatus est Rhesi auctor in hac quoque responsionis lege antiquiores fabularum scriptores, quos in legitimis etiam anapaestis responsionem monometri et dimetri nonnunquam sibi indulsisse probatum est.

Cum his in parodo recitatis systematis artissime cohaerent quae in exodo ab exeuntibus alterna vice cantantur. Quae exodia cum manum interpolatricem quam maxime proderent, abiudicaverunt ab Euripide viri docti, unum in fine Baccharum v. 1368—1392 A. Nauckius, alterum in Electrae v. 1292—1359 Ricardus Klotzius.

*) *οὐκέτι*, quod addunt cod. tanquam chori responsum post *ἐκ νυκτῶν*, quin delendum sit vix quisquam dubitat; in reliquis codicum memoriam servandam esse censeo.

Reliquos omnes qui huc pertinent anapaestos in exodo recitatos, quod singulis vel binis imparibus (Iph. T. v. 1490—1496) absolvuntur systematis, item missos facio.

Etiam tribus verbis monendum est Weseneri sententiam (l. l. p. 39): omnes conclusiones communes post mortem Euripidis fabulis esse additas, magnam habere veri speciem, ut genuinae exodi Euripideae spuriis sint submotae.

B. Anapaesti in ipsa fabula positi.

Anapaestis ut chorus suos intrantis gradus comitabatur, ita producebat novas personas in scaenam. Cuiusmodi sunt periodi antistrophicae duae, quarum altera exstat in **Suppl.** v. 1114—1117 = 1118—1122: $4\frac{1}{2}=4\frac{1}{2}$, si modo *ἰώ* in v. 1114 cum Hermanno geminas:

ἰὼ ἰώ·
τάδε δὴ παίδων καὶ δὴ φθιμένων

altera in **Iph. T.** v. 456—460 = 461—466: 5=5, cum in verbis *Ἕλλησι διδοὺς*, ex quibus sententia idonea elici nequeat, interpolatio latere videatur (cf. Bergk. Mus. Rhen. vol. XVIII p. 208).

Omissis quae sunt praeterea huiusmodi anapaestorum exemplis, quippe ex quibus cum singulis vel binis imparibus (Tro. v. 1251 sqq., El. v. 987 sqq., Suppl. v. 980 sqq., J. A. v. 590 sqq., Rhes. v. 380 sqq., 882 sqq.) absolvantur systematis, nihil ad nostram quaestionem lucrari possimus, ad aliam procedamus periodum, quae cuius generis fuerit suspicari tantum licet, **Medeae** dico canticum quintum v. 1081—1185, quod vexavit maxime viros eruditissimos.

Mirum de hoc carmine est iudicium Hartungi, cuius disputatio in hac quam censet ratione antistrophica tanquam in cardine vertitur. Jubet enim, quod a primo systemate secundum versu superatur, deleri v. 1088, cum scholiasta diligens quem vocat nullam eius faciat commemorationem. Si legisset vir doctus scholiastae verba haec adnotata ad *φημί* v. 1090: *μία οὖσα καὶ αὐτή*, quae ad nostrum locum procul dubio pertinent, cautius opinor egisset. Praeterea versus ne minimum quidem inicit scrupulum, si modo recte intellegis in parenthesi dictum.

Quare quoniam tria systemata in eandem redegit formam Hartungus, in quarto ut aequalitatem efficiat tres expulit versus 1105 sq. et 1111 transpositis verbis *προφέρων* et *οὗτος*. Sed hae mutationes sunt reiciendae utpote parum probabiles ac nimis violentae.

Atque hanc textus constitutionem chorici, cui nomen stasimi induit, fecit commotus Hartungus Aristotelis verbis (Problem. XIX 15): *τὰ μὲν ἀπὸ σκηνῆς οὐκ ἀντίστροφα, τὰ δὲ τοῦ χοροῦ ἀντίστροφα*, neque meminit eundem Aristotelem his uti verbis (Poet. 12): *στάσιμον δὲ μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου*. Enimvero qui praecipit si regulas ex qua re sibi proposita deducit, putandus est quae recta videntur praescribere neque omnes res exceptas tangere. Etenim antea vidimus chori parodum antistrophis carere, infra autem videbimus *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* nonnunquam ad antistrophicorum leges composita esse.

Aristotelem igitur non tam severe interpretari debebat vir doctus in constituendo hoc carmine, quod non antistrophicum, sed palinodicum fuisse videtur.

Atque Ricardus quidem Arnoldtus (l. l. p. 361) contulit hoc carmen cum comoediarum parabasi, quam anapaestis antisystematicis caruisse constat. Attamen concedit compositionem nostro loco fuisse antisystematicam. Itaque videbitur, dum ne de rerum nominibus litigemus, mihi cum Arnoldto prorsus convenire.

Sponte enim se offert hic ordo periodicus:

$$8\tfrac{1}{2}\quad \underbrace{7\tfrac{1}{2}\quad 7\tfrac{1}{2}}\quad 10\tfrac{1}{2}$$

Sed non veri esse dissimile quartum quoque systema ad responsionem primi a poeta esse factum primus perspexit R. Klotzius (de numero anapaestico quaest. metr. p. 41), ut haberemus compositionem palinodicam hanc:

$$\underbrace{8\tfrac{1}{2}\quad \underbrace{7\tfrac{1}{2}\quad 7\tfrac{1}{2}}\quad 8\tfrac{1}{2}}$$

nam in v. 1111 et 1106 iure offenderunt viri docti, in illo Weckleinius (in adn. ad v.) et Bergmannus (Blätter f. d. bayr.

Gymn. vol. XI p. 365), in hoc Kvičala (Studien zu Eur. Denkschr. d. kais. Akad. d. W. vol. XXVIII p. 270).

Deinde eodem symmetriae studio ductus poeta in fragmento 836, quo item de rebus agitur philosophicis, forma usus est antistrophica: $6\frac{1}{2} = 6\frac{1}{2}$. Et hoc quidem Sextus affert Empiricus (*πρὸς μουσικοὺς* p. 751 Bekker.), ut exemplum praebeat stasimi qualia ad lyram cantentur. Quod si verum est, Medeae quoque carmen ad stasimorum similitudinem propius accedere videtur quam concesserint viri docti. Sed utut res se habet, respondendi aequabilitatem ne a disputationum quidem continuatione alienam esse agnovimus, licet acquiescas in forma Medeae carminis periodica.

Restat locus huic quaestioni vel maxime necessarius de eis anapaestis, qui inter carmina lyrica sunt positi, quos Euripides, quippe qui postea metrorum varietati studeret, non ad legitimorum regulas instituisse videtur nisi in prioribus fabulis.

Ac primum quidem disputandum est de hoc anapaestorum usu in **Alcestide** in qua fabula unum exstat certum exemplum, quo antistrophica compositio coarguitur v. 861—871*), quibus respondent v. 878—888: $10\frac{1}{2} = 10\frac{1}{2}$.

Atque qui stropham alteram alloeometricam secuntur anapaesti v. 911—925 quod non respondent eis qui antistropham excipiunt primam v. 895—902, eo molestius feras, quo magis quantam curam poeta stropharum vicinarum compositioni impenderit reputes. Mirum enim videatur, si quam initio observarit dispositionem tum neglexerit. Ceterum monendum est, qui apud Sophoclem et Aeschylum singulas carminum partes ad responsionis legem factas excipiunt anapaesti aequali personarum vice, eos ipsos accuratae responsionis legibus parere (cf. Nieberding. de anapaestorum apud Aesch. et Soph. ratione antisystematica p. 58).

Sed nisi aut interpolationis vestigium aut lacunae suspicio accedat, criseos instrumento uti non licet. Jam igitur apparet hoc schema *κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ*:

*) In Nauckii exemplari *ἰώ* supra v. 861 scribendum et in v. 862 *αἰαῖ* explodendum (cf. p. 43 adn.). Iure mirere quod in anap. lib. bis terve correxit vir doctus pentap., hic admisit.

1 Hyp. *στρ. α* 1 Hyp. *ἀντ. α*

cui Westphalus adicere non debebat hoc:

1 Hyp. *στρ. β* 1 Hyp. *ἀντ. β*

cum semel laesam esse membrorum concinnitatem videamus, id quod in tam symmetrica conformatione habet profecto quo offendat.

Veniamus ad **Andromacham**, in qua fabula sibi respondent v. 515—22 = 537—44: $7\frac{1}{2} = 7\frac{1}{2}$. Atque eodem quo in Alcestide modo utrumque systema stropham excipit melicam, quibus praemissae sunt duae strophae item lyricae cum unius systematis mesodo. Hinc sponte apparet totius carminis structuram esse hanc:

στρ. α ἀντ. α στρ. β ἀντ. β 1 Hyp. *στρ. γ* 1 Hyp. *ἀντ. γ* 1 Hyp.

ut mesodus quaternis strophis sit circumclusa.

Quam ad normam haec strophis melicis inserta systemata composita sunt, ad eandem se applicant **Rhesi** trimetris binis interpositi versus 738—44∾747—53: $6\frac{1}{2}$∾6.

Cum iam omnes quae huc pertinent periodos perlustraverimus, quid lucri faciamus brevi complectendum est. Legitima igitur in parodo et exodo posita systemata Euripidea responsione antisystematica carent omnia, nisi ea quae in Troadum monodia a poeta antisystematicorum legibus constricta videntur, ut quandoquidem systemata libera eodem modo adornata secuntur, relationem inter ea efficeret, parodo ipsi adnumeras.

Quae Troadum eadem ratio est eorum omnium systematum, quae in ipsa fabula lyricarum stropharum aliquam partem efficiunt (J.T. v. 456 sqq., Suppl. v. 1114 sqq., Alc. v. 861 sqq., Andr. v. 515 sqq.), nisi quod in Alcestide systemata duo dispositione tantum relationem quandam inter se habent et Supplicum v. 980—89 non ostendunt compositionem symmetricam nisi sententiae: $3\frac{1}{2}$. 3+3, sicut Orestis systema v. 349—55: $3\frac{1}{2}+3\frac{1}{2}$. Atque etiam carmina, quae ad stasimorum similitudinem facta videntur, Med v. 1081 sqq. et fragm. 836, responsioni antisystematicae favent.

Quae autem praeterea reperiuntur in ipsa fabula systemata inter deverbiorum partes consimilem tantum ordinum numerum am-

plectuntur, sunt enim chori Tro. v. 1251—59: $\underbrace{5}_{2\frac{1}{2}+2\frac{1}{2}} . 4\frac{1}{2}$ (cf. Arnoldt l. l. p. 276), El. v. 988—97: $5\frac{1}{2} . 4$.

Quod reliquum est Troadum amoebaeum singulare v. 782—98 similem in modum ac parodica amoebaea Med. v. 96 sqq. et Hipp. v. 176 sqq., adornatum videtur: $\underbrace{8}_{4+4} . 9$; nimirum antisystematicae responsionis legibus non paret.

II. De liberis anapaestorum quae vocantur systematis.

Carminum genus, quae constant ex anapaestis liberis, apud Euripidem solum frequens est. In quo ut magnam animi perturbationem exprimeret poeta, versuum etiam rationem mutavit; neglexit enim caesuram, admisit hiatum et syllabam ancipitem, paroemiacum quolibet loco posuit, ut etiam complures huiusmodi versus se exciperent, responsionem ita instituit me quidem iudice, ut nonnunquam ordines metrici in responsione sibi opponerentur nulla amplitudinis ratione habita; neque enim imitandus erat pedum motus continuus, sed cantoris silentio aliquo intermisso tempus apte expleri poterat planctus ac doloris actionibus adhibito tibiarum sonitu. Fieri autem ut dimeter monometri vices obtineret, docte nec non eleganter probasse Rudolphum Westphalum supra commemoravi.

Atque huius quoque disputationis initium sumamus ab eis anapaestis, quorum usus tum fuit, cum chorus orchestram intrabat.

A. Carmina chorica.

Primo igitur loco videamus de **Troadum** parodo, v. 197—229 a choreutis solis cantatis. Qui versus quin ex parte Hecubae a vetere aliquo librario non recte sint addicti vix quisquam

dubitat. Nec magis dissentiunt viri docti de ratione antistrophica adhibenda, quippe quae primo statim obtutu eluceat. Sed in systematis distribuendis ita inter se discrepantes secuti sunt rationes, ut nihil pro certo affirmari posse videatur, id quod ex brevi conspectu satis patebit.

Atque Hermannus quam proposuit huius carminis dispositionem (opusc. VIII p. 203 sq.), ex qua utramque stropham ternis effici statuit systematis: 4 . 6 . 6 = 4 . 6 . 6, ut cantantium vices sint distinguendae v. 201, 207, 218, 224, quin eam improbem facere non possum. Hanc enim rationem ab Euripidis in versibus anapaesticis adornandis consuetudine alienam esse vel inde apparet, quod ille in eiusmodi carminibus fere legitimis paroemiaco systema non incipere, sed finire solitus est.

Tum Hensiana multo simplicior est ratio (de Ionis fab. Eur. part. chor. p. 34 sq.), ex qua sequitur utramque stropham quaternis constare systematis a singulis choreutis cantatis. In eo tamen quod unam sententiam per tria extendit systemata v. 220—229 et v. 220 sq. dispescit a v. 222, a probabilitate aberravit vir doctus, quippe qui versus et sententia et metro artissime cohaereant

Postremo mirum in modum Christius (Abh. d. bayr. Ak. d. W. XIV p. 197) versus ita distrahere conabatur inter choreutas: 197—200 = 214—17, 201—2 = 218—19, 203—6 = 220—23, 207—13 = 224—29, quam ratiocinationem vir praestans infra ipse refutavit. Exscribo quae intersit audiri verba: Diese Teilung träfe doch nicht in Strophe und Antistrophe gleichmässig mit der Interpunktion zusammen und würde überdies, freilich infolge der Neuerung, welche Euripides in dem Bau der Anapäste überhaupt vorgenommen hat, nicht äusserlich durch katalektische Schlussverse unterstützt werden.

Itaque hoc canticum in complures distribui partes consentaneum est ea ordinum conformatione symmetrica distinctas, quae sociante tibiarum concordia requiritur; sententiarum autem dispositio non minus a poeta spectata cernitur, si unumquodque systema paroemiacus excipit v. 200, 209, 213, 217, 225*), 229,

*) Hunc versum corruptum in paroemiacum restituendum esse docet antistrophicus.

ut versus in hos simplices ordines redigantur: 4.8.4 = 4.8.4. Qui singuli utrum a diversis chori partibus sint cantati an poeta id tantum in animo habuerit ut elaborata systematum descriptio cognosceretur musicae modulationis varietate, plane disceptare non audeo, cum res tam dubia perdifficilis sit diiudicatu.

Sed hoc constat sententiam, quam protulit R. Arnoldtus (l. l. p. 144 sq.) contra eos qui distribuunt inter choreutas, infringi ac dilui illa versuum dispositione.

Judicat enim vir doctus utramque stropham a toto choro esse cantatam ex eo intellegi, quod v. 207 sq.:

τὰν κλεινὰν εἴθ' ἔλθοιμεν
Θησέως εὐδαίμονα χώραν.

et v. 218 sq.: *τάδε δεύτερά μοι μετὰ τὰν ἱερὰν*
Θησέως ζαθέαν ἐλθεῖν χώραν.

quibus quas sedes praeter ceteras optet et concupiscat chorus repetatur, eidem esse tribuendos personae in propatulo sit.

Hoc quidem recte, illud autem eum fugit, quod paulo aliter versus inter choreutas distribui possunt atque Hermannus et Henseus iusserunt, ita nimirum ut versus illi ab eadem pronuntientur persona, id quod facile fieri potest, si ipse quid vidi, illa systematum dispositione: 197—200 = 214—17, 201—9 = 218—25, 210—13 = 226—29, quae cantata esse a chori ducibus sint putanda, fortasse hoc modo:

ΠΑΡ.α' ΚΟΡ. ΠΑΡ.β' = ΠΑΡ.α' ΚΟΡ. ΠΑΡ.β'
4 8 4 4 8 4

Vide modo quam apta sit repetitio huius potissimum sententiae, quae legitur in v. 207 sq. et 218 sq., si eadem persona vel chori princeps quo substitit sensu in stropha, eo revertitur in antistropha. Adde hoc quod personarum vice hiatus post v. 225 excusatur. Illi carminis compositioni id quoque favere videtur quod O. Muellerus in praeclara Eumenidum editione p. 89 probante Hermanno (op. VI 2 p. 142) et Christio (l. l. p. 187 sq.) observavit systematum numerum in cantibus choricis anapaesticis in trinas partes posse dividi. Choreutis enim tri-

partito ingressis tres chori duces in capite stare solebant, cuius rei testimonium exstat in Jph. T. v. 1068 sq., quo Iphigenia utrumque parastatam per dextram et coryphaeum per genas obtestatur his verbis: *ἀλλὰ πρός σε δεξιᾶς, Σὲ καὶ σ' ἱκνοῦμαι, σὲ δὲ φίλης παρηίδος.*

Jam veniamus ad **Alcestidis** parodum, in qua liberi positi sunt anapaesti inter legitimos. Initio enim habemus systema severius v. 77—85, dummodo coniecturam Monkii verbum *ἐσι'* inserentis ante *οὐδείς* in v. 79 recipias. Quam inter proodum et epodum v. 131—35 haec symmetria intercedere videtur, ut idem anapaestorum genus sit adhibitum, quod ex eo fit perspicuum, quod incisiones ac pedes severioribus legibus constricta tenentur et quod anapaesti videntur esse generis eorum qui ad intrantis personae gradus sonabant. Itaque vitiosa pentapodia v. 131, quam anapaesticam in systematis anapaesticis Euripidem sibi nusquam indulsisse constat *), et paroemiacus in versu sequenti 132, quem in hoc quidem orationis conexu offensione minime vacantem iam tentaverunt critici, in dimetros restituenda videntur.

Interposita sunt inter proodi et epodi anapaestos ab una persona recitatos duo stropharum paria, quarum primam sex, alteram septem anapaestici amoebaei liberiores excipiunt.

Haec omnia tam late commemoravi, quod mirum de hoc loco protulit iudicium Westphalus, qui hanc formam parodi nostrae *κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ* et mesodicam depingit:

fr. Hyp. *α* fr. Hyp. *α* fr. Hyp. *β* *β* fr. Hyp.

Quod perversum responsionis genus, in quo quot versibus constet systema nil refert, supra exprobravi. Accedit hoc loco quod non modo anapaestorum ordines sunt diversi sed etiam ratio.

Atque anapaestici amoebaei, qui inter strophas sunt positi lyricas, non respondent tantum inter se maximam partem, sed

*) En exempla omnia dudum emendata: Alc. 861. 862 (cf. p. 38 adn.). Hec. 186. Tr. 148 sq. (cf. p. 59 sq.). 159. 161. 173 (cf. p. 45 sq.). J. T. 150. 226 (cf. p. 53). Rhes. 17 (cf. p. 35 adn.).

fere eidem esse videntur*), ut in hac tanta symmetria eae quibus hoc canticum inquinatum est maculae facilius deprehendi possint. Particulam enim *γὰρ* in v. 94 *οὐ γὰρ δὴ φροῦδός γ' ἐξ οἴκων* prodere quam maxime interpolatoris manum neminem fugit; versus in paroemiacum restituendus. Porro v. 94 et 95 sedes suas invicem permutare recte iusserunt Kirchhoffius et Arnoldtus (l. l. p. 154 sq.) sententiarum ordine ducti. Verum tamen unus mihi remanet scrupulus num nobis non commotis nisi tanta aequabilitate monometer aut ante v. 96 aut post eum excidisse censendus sit, cum loci sententia sana nullam moveat suspicionem.

Miram profecto intercedere similitudinem inter anapaestos, qui sunt v. 93—97 et 105—11, et totum carmen vehementer corruptelis laborare non est infitiandum, quam ob rem adhuc in virorum doctorum qui indicaverunt lacunam iudicio acquiescam et hanc formam ante oculos ponam:

προῳδ. στρ. α συστ. ἀντ. α ἀντ. στρ. β ἀντ. β ἐπῳδ.

Quae si recte observata sunt, personae, quae in systemate v. 93—97 queruntur, in antisystemate v. 105—11 repetuntur inverso ordine: *α' β' α' β' = β' α' β' α'.*

Nam hoc procul dubio dudum recte perspexerunt viri docti duo alterna vice cantare in hoc amoebaeo hemichoria vel potius hemichoriorum principes, quorum alter *ὁ α'* meliora de Alcestidis sorte sperat, alter *ὁ β'* anxius iam desperat.

Haec sunt quae habeo de anapaestis a choreutis solis cantatis. Chorici igitur anapaesti liberi non inveniuntur nisi in parodo. Atque quod in legitimis observavimus anapaestos parodicos responsionis legibus non parere, id in liberis secus se habet, in quibus poetam affectasse respondendi aequabilitatem satis perspectum habemus. Hanc autem curam diligentiamque nemo profecto existimet poetam impensurum fuisse compositioni libe-

*) Hic solus locus Euripideus est, in quo poeta pedum responsioni studuisse videri possit. Sed pauciores sunt v. respondentes, quam ut certi quicquam hic statuere liceat.

riori, nisi certam ad audientium animos commovendos vim in hac re inesse putasset. Id aliud quoque demonstrat exemplorum genus, quod nunc quaestioni nostrae subiciemus, anapaesti in commis positi.

B. Carmina commatica.

Liberis anapaestorum systematis vel maxime est locus in commis et monodiis; ut enim deminuit *τραγικώτατος* poeta cantica chorica, ita adhibuit totam operam curamque choro detractam augendis carminibus *ἀπὸ σκηνῆς*.

Neque igitur mirum Euripidis in componendis commis artem non valde recedere ab ea ratione, quam secutus est poeta in adornandis choricis amoebaeis. Quam rationem quamvis simplex nec tam artificiose sit elaborata quam in carminibus Aeschyleis, at elaboratam tamen esse nec usquam fortuito natam non poteris negare perlustrans quae nunc propposituri sumus exempla.

Omissis Iphigeniae Aulidensis v. 115—163, qui ab Euripide abiudicati conformationi symmetricae non favent, iam accedamus ad **Troadum** parodi partem commaticam v. 153—196, quos a choreutis et histrione alternatim cantatos dispositioni illi de qua agimus in aequales partes mirum in modum favere quivis videt. Est enim totum carmen ita compositum, ut singula systemata, inter quae versuum concinnitas intercedat, etiam sententiis et personarum vice accurate sint distincta. Neque certa desunt documenta, quibus poetam accuratam singulorum responsionem voluisse evidens fiat; nam ea lege sunt facta, ut monometer monometro, paroemiacus paroemiaco, exclamatio exclamationi, persona personae respondeat.

Et versus ipsi, qui compositioni antistrophicae obstant, produnt quam maxime manum interpolatricem; in versu enim 159 maxime probabilis corrigendi ratio Kirchhoffii mihi videtur, qui vir doctus *πρὸς ναῦς ἤδη* — propter v. 161 item exeuntem in *ἤδη* — mutat in *πρὸς ναυσὶν*; in v. 161 item pentapodia post *οἲ 'γὼ* haud malus codex exhibet *μέλεα* verbum metro repugnans, alii *τλάμων*, quas varias lectiones interpretibus deberi idem Kirchhoffius recte perspexit; nec minus assentior Seidlero

alterum Τροία in pentapodia 173 eiciendum esse, nisi forte putamus ἰώ extra versum exclamari posse intra antistrophica.

Quibus glossematis feliciter proscriptis minus opinor dubitabis de responsione accurata inter v. 153—175 et 176—196, praesertim cum alterum par stropharum, quae a choro cantatae secuntur, ad severas responsionis anapaesticae leges se item applicare cognoverimus. Denique commemorandum est primum hic occurere exemplum symmetriae positae in eorundem verborum iteratione loco respondente; repetitur enim ὦ τέκνον v. 159 in v. 182, ut de exlamatione ἰὼ ἰώ v. 164 et v. 187 taceam. Cf. praeterea v. 160∾181.

Reliquum est ut numerorum rationes declarem hoc schemate:

HM.α'.	*EK.*	*HM.α'.*	*EK.*	*HM.α'.*	*EK.*	=
6	2	2	1	4	9	
HM.β'.	*EK.*	*HM.β'.*	*EK.*	*HM.β'.*	*EK.*	
6	2	2	1	4	9	

Habet igitur utraque persona eundem ordinum numerum duodecim et ter in questus sese profundit in stropha et in antistropha, cui tamen symmetriae trinariae tantum abest ut aliquid ponderis tribuam, ut contra quin casu et fortuito acciderit non dubitaverim. Nam chori personas sibi non respondere sententia liquido demonstrat (cf. v. 165 sq., 176 sq.). Videtur igitur hemichorium I. hemichorio II. vel potius parastata I. parastatae II. in responsione opponi (cf. Christ. l. l. p. 198, Arnoldt. l. l. p. 143 sq.).

Transeo ad commaticum carmen multo vehementius Hecubae et Polyxenae filiae capitis damnatae in **Hecuba** v. 154—215. Et hoc quidem canticum, in quo propter maiorem animorum motum metra alius generis, dactyli, iambi, dochmii, sunt interposita, propter compositionem impeditissimum esse Hermannus verissime iudicat.

Qui antea hoc carmen ad antistrophicorum leges describere tentarunt, Seidlerus in libro de v. dochmiacis p. 294—301 et Reisigius in coniectaneis in Aristrophanem p. 286—291 antistrophas nescio quas venari maluerunt quam respicere codicum scripturam. Quid autem habemus quod complures statim lectiones repudiemus, quae et librorum auctoritate firmantur et

metricis legibus parent nec tamen ad sensum non sunt pervenustae? Illorum igitur elegantiae scilicet studiosorum rationem cum quid persuasionis habeat non reperiamus, in disputatione tacere quam docere malimus, sed quoniam responsionem pertractare nobis proposuimus, in locis adhuc controversis enotare iudicia antea prolata nostrum est.

Atque Augustus quidem Seidlerus hanc dedit stropharum descriptionem: α 154—74 αὐδάν. β 177—79. γ 174 τέκνον — 176+180—82. γ' 183—87. δ 188—90. δ' 191—93. β' 194—96. α' 197—215. Ad hanc autem aequalitatem ut versus accommodaret, quam nulla saepe necessitate coactus violenter mutaverit ex ipsa dispositione et e conspectu emendationum quem praebet satis elucet.

Nec minus corrigendum erat C. Reisigio, ut hanc carminis responsionem coustrueret: α 154—58. β 159—73. γ 174—77 ἰώ + ἰὼ τέκνον. γ' 177 μᾶτερ — 180. δ 181—184+187+μοι μᾶτερ ἰώ. δ' 186+185+194—96. ε 191—93. ε' 188—90. α' 197—201. β' 202—215. Quamquam concedendum est valde esse lubricam totam quaestionem de aequabili huius loci conformatione, tamen vix quemquam puto Reisigii audaciae adstipulari, qui e coniectura iusto violentius mutat, versus mirifice dispescit. Itaque cum ratio ipsa minime esset reicienda propter non dubia responsionis vestigia, aliam compositionis aequalitatem quaesivit Hermannus.

In qua constituenda quas ingressus est vias in Elementis p. 738 sq. et in dissertatione de antistrophicorum usu p. 10 sq., ut eas probaret ne ipse quidem a se impetrare potuit. In editione autem quam postea voluit versuum dispositionem, ea a ratione Seidleriana haud procul abest. Sed et a librorum auctoritate rarius modestiusque discessit et personarum ordinem respexit strophas constituens hasce: α 154—73. β 174—76. προῳδ. 177—79. γ 180. δ 181. γ' 182. προῳδ. 183 sq. ε 185. δ' 186. ε' 187. ϛ 188—90. ϛ' 191—93. β' 194—96. α' 197—215.

Quod Hermannus singulorum versuum responsionem constituit, hoc in carmine admitti potest, quippe quae cum personarum vice sit coniuncta; illud autem quod in media anapaestorum periodo duas inseruit proodos, quarum utraque ternis

singulorum versuum strophulis praecedit, illud nescio an non verum sit, nisi forte arbitraberis ullum unquam carmen scaenicum ita fuisse compositum, ut duo praeludia in medio cantico cantarentur.

Hoc igitur mihi non probavit vir egregius, quod amoebaeum quoque carmen totum regulis antistrophicorum adstrinxit, quorum ratio etiam ex illis laborat, quod quo loco per se ne minima quidem suspicio subest in v. 174 lacunae signum ponere et proodum v. 183 sq. admittere iubemur, quae ne pausa quidem, quam paroemiacus efficit, a subsequenti stropha dirimitur. Est omnino artificiosius excogitata Hermanni ratio, quae artem Aeschyleam magis quam Euripideam redoleat, quod facile concedat qui non modo hoc carmen, sed omnes quae exstant Euripidis fabulas perlustraverit.

Certe simplicior nec non probabilior est Hartungi structura, ut contineatur α v. 154—73. β 174—79. γ 180+85. γ′ 182+87. δ 186. δ′ 181. β′ 183 sq. + 194—96. ε 191—93. ε′ 188—90. α′ 197—215. Quam tamen improbandam esse ut putem duabus potissimum commeveor causis. Valet enim regula apud Euripidem praecipue stropharum dispositionem indicari aut sententia aut metro. Dimetri autem anapaestici, qui stropham α terminant, v. 172 sq. nec sensus nec metrorum pausam efficiunt. Altera causa est, quod v. respondentes 214 sq. dactylicos esse manifestum est.

In qua ratione etiam illud perquam commodum accidit, quod offendiculum removetur, quod praeberet v. 215 anapaesticus acatalectus exitu carminis; nam omnia carmina anapaestica aut anapaesticus catalecticus aut alloeometricus excipit.

Quamquam responsionis certa vestigia inveniri minime nego, scilicet versus alloeometricos 167 sq. et 209 sq., singulas pentapodias dactylicas cyclias et tripodias iambicas inter se prorsus congruentes. Eorum igitur responsionem respiciamus in restituendis locis plane corruptis.

Primum autem corruptelas, quae cum metri deformitate tum sententia coarguuntur, in v. 163 sq.:

στείχω; πῆ) δ᾽ ἥσω; ποῦ τις θεῶν*
ἢ δαιμόνων ἐπαρωγός;

*) *ποῖ* cod. Par. E et Laur. sive Flor. G.

latere nemo gnarus non videt. In his igitur quid sit propositum videamus. Moleste cum inserta reperiantur verba mendosa *πῆ δ᾽ ἥσω*, interpretamentum opinor mutilatum magistelli, qui sive Dionysii Halicarnassensis exemplum (*περὶ συνθεσ. ὀνομ.* c. 17 p. 218 sqq. Schaefer.): *σποδεῖος ἀξίωμα ἔχει μέγα καὶ σεμνότητα πολλήν. Παράδειγμα δὲ αὐτοῦ τόδε· ποίαν δῆθ᾽ ὁρμάσω, ταύταν ἢ κείναν, κείναν ἢ ταύταν* seu aliis expressum verbis — nam saepius recurrebant ad locum veteres grammatici (cf. Alexander. de schem. VIII p. 429 Walz.: *ποίαν ἔλθω, ταύταν ἢ κείναν;*) — in animo habebat, secludit Hermannus haec verba atque contexit quattuor versus 163—166 in tres hos:

στείχω; ποῦ τις θεῶν ἢ δαίμων
ἐπαρωγός; ἰὼ κάκ᾽ ἐνεγκοῦσαι
Τρῳάδες, ὦ κάκ᾽ ἐνεγκοῦσαι

in quibus praeter additamentum expulsum nihil est mutatum nisi vitiosum verbum *δαιμόνων* in *δαίμων* et primum *ὦ* in *ἰώ*, quod saepius opus esse in metro restituendo nemo erit quin sciat. Alius locus metro claudicans, de quo diversissimas protulerunt viri doctsei ntentias, legitur in Polyxenae threnodia v. 200 sq., tripodiae. Quas ut evitemus cum Bartholdo, qui primus recte docuit (Mus. Rhen. XXI p. 54 sqq.) Euripidem tripodiam acatalectam sibi non indulsisse in systematis anapaesticis, sic scribentes:

οἵαν οἵαν
αὖ σοι λώβαν ἐχθίσταν
ἀῤῥήταν τ᾽ ὦρσεν δαίμων;

neglegimus singulorum pedum concinnitatem, ita ut hemistichii tempus sermonis pausa expleatur, quam hic ante monometrum fuisse crediderim.

Jam omnia recte procedunt. Excipiunt enim in utroque planctu bina systemata: 154—58. 159—66 ∾ 197—201. 202—8 ad severioris responsionis anapaesticae leges conformata versus dactylicus et iambicus. Qui versus alloeometrici praeter paroemiacos ternos et monometros singulos sibi respondentes gravissimi sunt testes me iudice usque ad hunc locum musicam modulationem eandem fuisse in untraque threnodia.

Qui autem secuntur versus in Hecubae planctu epodi loco v. 169—71a:

ὦ τλάμων ἄγησαί μοι
πούς, ἄγησαι τᾷ γραίᾳ
πρὸς τάνδ' αὐλάν·

videntur eorum generis esse qui legitimi gradus comitantur, spondiaci catalectici et monometer, metra tardae mulieri grandaevae apta. Reliquos autem versus liberrimos:

ὦ τέκνον, ὦ παῖ δυστανοτάτας
ματέρος, ἔξελθ' ἔξελθ' οἴκων·
[*ἄιε ματέρος αὐδάν, ὦ τέκνον,*]*)
ὡς εἰδῇς οἵαν οἵαν
ἀίω φάμαν περὶ σᾶς ψυχᾶς.

amoebaeo et ipsi admodum libero adnumerandos esse crediderim. Cuius versus alloeometrici intermixti, unus dochmius proprius v. 185 et tres dochmii spondiaci v. 182. 190. 193 (cf. Seidler. l. l. p. 34, Hermann. Elem. p. 385, Christ. Metr.² p. 456, Westphal. l. l. II.² p. 857), in summum animi motum apprime conveniunt, ut nihil observatum esse tibi videatur nisi numerus ternarius. Cum vero Hecuba perturbatum animum aliquid placans quid sit factum narret, numerorum etiam moderationem adhibere visum est.

Itaque amoebaei exitu bis terni versus 188—90 = 191—93 personarum vice et metrorum ratione bene distincti inter se respondent, quibus, cum id quod Reisigius probante Weckleinio sagaciter animadvertit, v. 194—96 et 188—91 sedes suas invicem permutasse veri quam maxime sit simile, ad severius threnodiae metrum traducitur.

Hebemus igitur, ut iam omnia brevi complectar, fere accuratam**) concinnitatem hanc: v. 154—68 ∾ 197—210, quos respondentes versus epodi v. 169—71ᵃ et 211—15 excipiunt, ac v. 188—90 = 191—93. Ubi tamen animi ad summum perturbationis fastigium efferuntur in prima amoebaei parte v. 171ᵇ—87 + 194—96 nulla antistrophicorum lex observata est, licet symmetria quaedam eluxerit.

---

*) iure pro suspecto habet hunc versum O. Ribbeckius.

**) nimirum monometer 199 (cf. p. 49) respondet dimetro 156.

Restat canticum primum **Iphigeniae Tauricae** v. 123—235, in qua tamen fabula threnodiae commaticae, quae a choro et ab actore alterna vice cantantur, omnes tantae sunt, ut monodias proprias aequiperent.

Hi enim versus quomodocunque in libris exhibentur, tamen et qualem sensum habeant et a quo pronuntientur in aperto est. Nam v. 123—36 et 186—202, qui vulgo Iphigeniae erant addicti, choro, cui omnia optime conveniunt, quin sint adsignandi vix quisquam dubitat post eruditam Teuffelii disputationem in Mus. Rhen. vol. XXIX p. 193 sqq. (cf. praeterea Hermann. ad v. 181. Kvičala. Beiträge zur Kritik und Exegese der Taur. Iph. p. 22 sq., Koechly. Emend. in Eur. Iph. Taur. III. p. 9 sq.).

Itaque ingeniosum lusum Seidleri, qui veterem versuum descriptionem retinuit, missum facere licet, cum praesertim Hermannus constanter adversatus sit, qui bis hoc canticum tractavit, primum in censura editionis Seidlerianae (cf. Leipziger Litteraturzeitung a. 1813 n. 267 sqq.), tum in sua ipsius editione. Atque in censura quam dedit versuum distributionem, ea ne apud ipsum quidem satis valuit, ut in adnotatione ad v. 817 editionis ipse sententiam suam respuerit, quae quantas difficultates motura esset sagaciter perspexit.

Postea in editione optime vidit non totum carmen legibus antistrophicis parere neque de omnibus certi quid statui posse propter tanta vitia, ut videantur secerni vix posse subditicia a genuinis, aperta autem responsionis vestigia exstare nec prorsus nullam legem esse observatam. Hoc tamen mihi non probavit vir eruditissimus, quod tanquam strophae integrae, sic unum versum 126 versui 127, qui artissime cohaerent, respondere statuit. Etenim in scaenica poesi non singuli versus ad responsionem facti esse solent, nisi stropharum instar sententiarum aut metrorum ratione bene distincti relationem inter se habent.

Multo rectius monet vir summus versum excidisse propter metri hiatum et orationis perversitatem post v. 141, quia quae hic dicantur ad Menelaum etiam referri possint; significatur autem Agamemno. Quare Seidlerus restituto *μυριοτευχοῦς* articulum *τῶν*, quem secunda manus codicis Palatini B addidit, recepit ad genetivum *τῶν Ἀτρειδῶν* suppleri iubens *ἑνὸς* sive *τοῦ ἑτέρου*, Dindorfius *γένος Ἀτρειδᾶν* scripsit. Quae cum tolerari non

possent, coniecit Schoenius *σπέρμ' Ἀτρειδᾶν* recurrens hinc ad Soph. Antig. v. 981 sq., quasi hic Atreus non Iphigeniae avus, sed totius generis auctor significaretur. Hunc fere in modum Koechlyus l. l. III p. 5 recte disputavit, cui assentiuntur Bartholdus (Mus. Rhen. XXI p. 56 sq.) et Rauchensteinius (Fleckeiseni ann. LXXXIX p. 28).

Cum igitur metrorum ratio nonnulla excidisse doceat, unius autem pedis lacuna ad restituendum contextum non sufficiat, dubium esse non potest quin Hermannus totum versum intercidisse recte sit suspicatus sat probabiliter simul coniciens:

στρατιᾶς ταγοῦ τοῦ πρεσβυγενοῦς
τῶν Ἀτρειδᾶν τῶν κλεινῶν;

Vide iam num sibi responderint qui planctus ad exitum adducunt v. 137—42 et 170—77, quos non modo metri sed etiam sententiae alium plane colorem habere atque illos quibus antea et chorus et Iphigenia queruntur, Hermannus recte probavit. Spondiaci enim bini prorsus congruunt: 139 = 172, 142 = 177, reliqui similes fere legitimi sunt, caesura primaria non neglecta est nisi uno v. 140. Spondiacos autem esse responsionis documentum et postea observabimus et per omnes tragicae poeseos reliquias observari potest.

Jam disputandum est de pari altero threnodiarum, quarum utrique quod inserti sunt singuli versus trochaici locis sibi respondentibus, magni ad nostram quaestionem momenti est. Quae ut recte intellegantur, duo mihi praemonenda esse video, alterum hoc, anapaestis liberis ad exprimendam anxietatem saepius versus alloeometricos esse intermixtos, ubique responsionis gravissimos testes, alterum hoc, in numeris solutis, quorum ex ratione cui generi sint adnumerandi non satis apparet, docere nos saepius de arte poetae et consilio verborum accentus et sententiam.*) Cf. J. H. H. Schmidt. Metr. gr. p. 213 sqq., Barthold. l. l. p. 58 sqq.

Quo fundamento firmo illo quidem et certo nisus Her-

---

*) Proinde cave ne hos v. sectatus Westphalum pro iambicis ducas aut Buchholtzium (de Euripidis v. anapaesticis p. 15) pro anapaesticis tripodiis acatalectis.

mannus, quo erat in arte metrica tractanda ingenii acumine, verissime perspexit carminis nostri Iph. T. v. 197 et 220 esse trochaicos hoc modo scandendos:

φόνος ἐπὶ φόνῳ, ἄχεά τ' ἄχεσιν·
ἄγαμος ἄτεκνος, ἄπολις ἄφιλος.

Alia superstruemus confidenter:

Jonis v. 889 *κρόκεα πέταλα φάρεσιν ἔδρεπον* =
v. 900 *ἵνα με λέχεσι μέλεα μέλεος.*

Unus restat versus proceleusmaticus Iph. T. v. 232, quem illis perpetuo impedimento esse putabant viri docti (cf. Buchholtz. Mus. Rhen. XXII p. 32 sqq.). Nam hunc si trochaicum ducamus, nulla re nisi analogia nitimur. Verborum enim accentus obstat quam maxime scansioni trochaicae:

ἔτι βρέφος, ἔτι νέον, ἔτι θάλος

nec minus sententia, nam *ἔτι* vox nullius ponderis in arsi ter sub ictu esset:

ἔτι βρέφος, ἔτι νέον, ἔτι θάλος

verba autem *βρέφος* et *θάλος* in thesi occultarentur. Quam discrepantiam numerosae Hermanni aures iam perceperant, qui vir praestantissimus metro mederi studet hac transpositione:

κλαίω σύγγονον, ὃν ἔλιπον ἔτι βρέφος
ἐπιμαστίδιον τότε, νέον ἔτι θάλος.

Id facile adducerer ut verum esse crederem, nisi et numeri illorum versuum per se boni anapaestici liberi et mutatio violentior esset. Veram igitur dispositionem esse spoponderim ut et tripodiam v. 232 et pentapodiam v. 226 vitemus nulla mutatione et placidiores habeamus caesuras:

ξείνων αἱμάσσουσ' ἄταν
βωμοὺς οἰκτράν τ' αἰαζόντων
αὐδὰν οἰκτρόν τ' ἐκβαλλόντων
δάκρυον. καὶ νῦν κείνων μέν μοι

λάθα, τὸν δ' Ἄργει δμαθέντα
*κλαίω σύγγονον,**)
*ὃν ἔλιπον ἐπιμαστίδιον ἔτι βρέφος,***)
*τότε****) *νέον ἔτι θάλος*
ἐν χερσὶν ματρὸς πρὸς στέρνοις τ' e. q. s.

Quo in monometro proceleusmatico nemo opinor haerebit, cum saepius vel sex morae solutae continuae inveniantur in uno versu anapaestico libero et exstent monometri forma dactylica in systematis anapaesticis, velut in Jone v. 176, El. v. 1322. Cf. praeterea Aesch. Pers. v. 934 = 942, 973, 987 = 1001.

Quare Bartholdi observationi de tripodiis acatalectis, quamvis verear ne hoc uno loco, qui metricos iamdiu occupatos tenuit, opinio eum fefellerit, tamen ne versiculus quidem refragetur. Quid ergo? Versibus illis 197 et 220 utpote alloeometricis loco respondente, post septenos denos anapaesticos, cantatis evidens fit poetam voluisse responsionem certe musicam. Lucramur igitur duas septenorum denorum versuum periodos respondentes, licet qui secuntur alloeometricos quaterni anapaestici eodem modo responderint. Sunt enim haec omnia responsione anapaestica libera, cum nonnulli paroemiaci, qui tamen idem ac dimetri respondentes temporis spatium explent (cf. p. 58), et monometer, in quem Westphali observatio quadrat, ad congruentiam non sint facti.

Omnino autem, si constat carminis cantum ad certos modos musicos sonantem respondente loco iisdem cum modis esse repetitum, id quod v. alloeometrici respondentes convincunt, non satis videtur causarum in medium prolatum esse cur non id quod veri est perquam simile, in antecedenti quoque parte utraque

---

*) Hucusque dispositionem codicum sum secutus, qui in reliquis auctore Fixio perperam discribunt post *ἐπιμαστίδιον, νέον, χερσὶν.*

**) cf. eundem numerum in Aesch. Pers. v. 936∾945.

***) hanc Hermanni conicientis *τότε, νέον* mutationem recepi sententiae gratia; nam syllabae ancipitis satis magna suppetat exemplorum copia: Hec. 159. 72. J. T. 147. 125. Jon. 167. Hipp. 1377. Hec. 83. 147. J. T. 212. Jon. 898. Attende praeterea id, quod teste Zieglero cod. Pal. B exhibet *ὅτι θάλος.*

musica modulatio eadem fuerit et in periodo et in antiperiodo, ita ut aequalis ordinum numerus ante utrumque versum alloeometricum non temere factus sit neque immutari debuerit a nonnullis criticis.

Ceterum haec libera ordinum anapaesticorum responsio eo iuvatur, quod quae infra tractabuntur strophas eodem modo sibi respondere videbimus.

C. Carmina monodica.

Artissime cohaeret cum Iphigeniae commo composito ex parvis ut ita dicam monodiis, quarum utrique chori carmen opponitur, monodia propria, actoris unius cantus luctuosus. Quae cum sit eodem planctuum naeniarumve genere, consentaneum est strophas haud ita multum aliter esse adornatas. Enimvero ex ipsa carminum conformatione certa vel verisimillima dispositio tanaqum sua sponte se offert. Nam aut in utraque parte idem est versus alloeometricus loco respondente aut alia in eis perspicitur concinnitas, quae nos edocet poetam symmetriam compositionis voluisse.

Quoniam sat multa praecepimus, iam illustremus illud carminum genus apud Euripidem tam frequens.

Quam normam sum secutus in cantico quod extremo loco tractavi, ad eandem disseruerim de monodia in **Hecuba** v. 59—97, quae item minus diligentem quam aliae habet rationem. Verum tamen v. alloeometrici eodem modo demonstrant symmetricam quandam conformationem a poeta esse affectatam, cum his versibus respondentibus par ordinum numerus, terni deni anapaestici praecedant; iidem igitur modi musici, qui in periodo fuerunt, in antiperiodo repetiti videntur. Quorum responsionem facilius percipere possunt audientium aures, si versus illi, bini hexametri, ut systemata ita sententiam excipiunt. Cui compositionis aequalitati studere eo magis licet, quod quibus locis dactyli continuantur anapaestis codicum scriptura vitia traxit molestissima.

Priore enim loco v. 76 sq. tradita verba depravata esse vel metri deformitas ostendit. Ratio autem quomodo sit corri-

gendum parum liquet. Equidem id tantum moneam ne ordinum numerus memoriae proditus mutetur, cum non fortuito ante versus aperte respondentes par versuum ambitus traditus videatur nec veri sit dissimile verba illa plane corrupta v. 76 sq. in locum verborum oblitteratorum substituta esse.

Qui antiperiodo admixti sunt dactyli, de eis brevi praecidam, cum quin Porso scribens in v. 91 *ἀνοίκτως* pro *ἀνάγκᾳ Οἰκτρῶς* verum invenerit vix quisquam dubitet. Subsequens enim tripodia v. 92 eodem criseos instrumento ita ad sanitatem reducitur quo sententia frigida et otiosa. Praeterea confirmatur Porsonis emendatio duorum codicum glossa *ἀνηλεῶς*. Itaque utramque stropham quamquam liberrimam certum habuisse sententiae finem crediderim eodem quo post alios v. alloeometricos modo, ne sint tanquam immixti systematis anapaesticis ipsis versus dactylici monopodiis percussi.

Veniamus ad Hecubae monodiae in **Troadibus** v. 122—52, quos quamquam nulli reperiantur v. alloeometrici tamen legibus antitheticis parere in oculos incurrit. Quod ut ab Euripide in hac threnodia institutum esse censeamus et totius cantici inde a v. 98 usque ad v. 234 compositione symmetrica et ipsius aequabili forma systematica adducimur. Constat enim duabus strophis paribus sententia accurate distinctis v. 122—37 et 138—52, quorum respondendi aequalitatem paroemiaci et spondiaci antistrophici coarguunt.

Sed quod fere nusquam non accidit in anapaestis ut librarii rationem antisystematicam iam non intellegentes versuum ordinem disturbarent, monometros non a dimetro separarent nisi parvo intervallo, locos oblitteratos emendare studerent compositionis symmetricae nulla ratione habita, id hic factum esse videbit qui vitia, quae primo statim adspectu elucent, mecum percenseat [sunt v. 125 tripodia catalectica p. 57, v. 136 paroemiacus arsi paenultima soluta p. 57—59, v. 144 cum pede trochaico p. 60, v. 148 sq. pentapodia acatalecta p. 59 sq.].

Initio statim medelam flagitant v. 125 sq., quos confusione laborare tunc demum liquido poterit intellegi, si Euripidem tripodia abstinuisse inter anapaestos tetrasemos dipodiis incedentes probaverimus.

Atque Euripidem tripodiam acatalectam non admisisse ostendit Bartholdus, ut supra commemoravi. Catalecticae etiam singulae vel complures coniunctae non inveniuntur nisi aut exitu systematum alloeometricorum loco, ita ut in fine, quod saepius fit alloeometricis admixtis, systema iam non per dipodias scandat vel pausa addita sex morarum dimetri tempus expleatur, in Jone v. 147 sqq., 178 (loco lacunoso), 896 sq. = 905 sq., aut systema ipsae efficientes, in Aesch. Pers. v. 948—53 = 962—65. In systemate autem ipso occurrit tripodia catalectica unico loco solo in Troad. v. 125. Alterum enim locum, qui vulgo in aciem producitur, Iph. T. v. 126 sq., non huc pertinere apparebit, modo numeros recte intellegas. Sunt enim versus illi paeones, quorum rhythmum cum generis paris versibus convenire supra demonstravi. Quod ut ita statuamus facit potissimum Euripides ipse, qui verborum dispositione nos paene exaudire facit paeonum epibatorum numerum sollemnem. Quae tamen ut recte intellegantur, exscribamus necesse est Aristidis de hoc numero verba (de mus. p. 39 Meib.): *παίων ἐπίβατος ἐκ μακρᾶς θέσεως καὶ μακρᾶς ἄρσεως καὶ δύο μακρῶν θέσεων καὶ μακρᾶς ἄρσεως*. Hocine rationi consentaneum est versum nostrum ex duobus constare metris, quorum primum duas, alterum tres amplectatur syllabas? Quam distributionem diaeresis fulcit, quae in permultis huius generis versibus post syllabam secundam reperiatur. Cf. praeter locum nostrum Aesch. Sept. v. 770, Suppl. v. 892, Soph. Antig. v. 1121, Eur. Jon. v. 498, Iph. A. v. 1043, Bacch. v. 1160, Hel. v. 1325.

Uno igitur exemplo uti possis ad probandum in ipsis systematis anapaesticis tripodias esse adhibitas. Huic autem loco iam medicina salutaris parata est. Quid enim habemus cur discriptionem repudiemus consuetudine firmatam, quae est:

Ἑλλάδος ἐνόρμους αὐλῶν
παιᾶνι στυγνῷ συρίγγων τ᾽
ἐυφθόγγων φωναῖς βαίνουσαι
πλεκτὰν Αἰγύπτου παιδείαν
ἐξηρτήσασθ᾽.

Jam via munita ad locum difficiliorem emendatu procedamus, dico v. 136: *Πρίαμον, ἐμέ τε μελέαν Ἑκάβαν*, cuius in

gendum parum liquet. Equidem id tantum moneam ne ordinum numerus memoriae proditus mutetur, cum non fortuito ante versus aperte respondentes par versuum ambitus traditus videatur nec veri sit dissimile verba illa plane corrupta v. 76 sq. in locum verborum oblitteratorum substituta esse.

Qui antiperiodo admixti sunt dactyli, de eis brevi praecidam, cum quin Porso scribens in v. 91 *ἀνοίκτως* pro *ἀνάγκᾳ Οἰκτρῶς* verum invenerit vix quisquam dubitet. Subsequens enim tripodia v. 92 eodem criseos instrumento ita ad sanitatem reducitur quo sententia frigida et otiosa. Praeterea confirmatur Porsonis emendatio duorum codicum glossa *ἀνηλεῶς*. Itaque utramque stropham quamquam liberrimam certum habuisse sententiae finem crediderim eodem quo post alios v. alloeometricos modo, ne sint tanquam immixti systematis anapaesticis ipsis versus dactylici monopodiis percussi.

Veniamus ad Hecubae monodiae in **Troadibus** v. 122—52, quos quamquam nulli reperiantur v. alloeometrici tamen legibus antitheticis parere in oculos incurrit. Quod ut ab Euripide in hac threnodia institutum esse censeamus et totius cantici inde a v. 98 usque ad v. 234 compositione symmetrica et ipsius aequabili forma systematica adducimur. Constat enim duabus strophis paribus sententia accurate distinctis v. 122—37 et 138—52, quorum respondendi aequalitatem paroemiaci et spondiaci antistrophici coarguunt.

Sed quod fere nusquam non accidit in anapaestis ut librarii rationem antisystematicam iam non intellegentes versuum ordinem disturbarent, monometros non a dimetro separarent nisi parvo intervallo, locos oblitteratos emendare studerent compositionis symmetricae nulla ratione habita, id hic factum esse videbit qui vitia, quae primo statim adspectu elucent, mecum percenseat [sunt v. 125 tripodia catalectica p. 57, v. 136 paroemiacus arsi paenultima soluta p. 57—59, v. 144 cum pede trochaico p. 60, v. 148 sq. pentapodia acatalecta p. 59 sq.].

Initio statim medelam flagitant v. 125 sq., quos confusione laborare tunc demum liquido poterit intellegi, si Euripidem tripodia abstinuisse inter anapaestos tetrasemos dipodiis incedentes probaverimus.

Atque Euripidem tripodiam acatalectam non admisisse ostendit Bartholdus, ut supra commemoravi. Catalecticae etiam singulae vel complures coniunctae non inveniuntur nisi aut exitu systematum alloeometricorum loco, ita ut in fine, quod saepius fit alloeometricis admixtis, systema iam non per dipodias scandat vel pausa addita sex morarum dimetri tempus expleatur, in Jone v. 147 sqq., 178 (loco lacunoso), 896 sq. = 905 sq., aut systema ipsae efficientes, in Aesch. Pers. v. 948—53 = 962—65. In systemate autem ipso occurrit tripodia catalectica unico loco solo in Troad. v. 125. Alterum enim locum, qui vulgo in aciem producitur, Iph. T. v. 126 sq., non huc pertinere apparebit, modo numeros recte intellegas. Sunt enim versus illi paeones, quorum rhythmum cum generis paris versibus convenire supra demonstravi. Quod ut ita statuamus facit potissimum Euripides ipse, qui verborum dispositione nos paene exaudire facit paeonum epibatorum numerum sollemnem. Quae tamen ut recte intellegantur, exscribamus necesse est Aristidis de hoc numero verba (de mus. p. 39 Meib.): *παίων ἐπίβατος ἐκ μακρᾶς θέσεως καὶ μακρᾶς ἄρσεως καὶ δύο μακρῶν θέσεων καὶ μακρᾶς ἄρσεως*. Hocine rationi consentaneum est versum nostrum ex duobus constare metris, quorum primum duas, alterum tres amplectatur syllabas? Quam distributionem diaeresis fulcit, quae in permultis huius generis versibus post syllabam secundam reperiatur. Cf. praeter locum nostrum Aesch. Sept. v. 770, Suppl. v. 892, Soph. Antig. v. 1121, Eur. Jon. v. 498, Iph. A. v. 1043, Bacch. v. 1160, Hel. v. 1325.

Uno igitur exemplo uti possis ad probandum in ipsis systematis anapaesticis tripodias esse adhibitas. Huic autem loco iam medicina salutaris parata est. Quid enim habemus cur discriptionem repudiemus consuetudine firmatam, quae est:

Ἑλλάδος ἐνόρμους αὐλῶν
παιᾶνι στυγνῷ συρίγγων τ'
εὐφθόγγων φωναῖς βαίνουσαι
πλεκτὰν Αἰγύπτου παιδείαν
ἐξηρτήσασθ'.

Jam via munita ad locum difficiliorem emendatu procedamus, dico v. 136: *Πρίαμον, ἐμέ τε μελέαν Ἑκάβαν*, cuius in

metri forma omnes iure haesitant, quamquam exstat versus consimilis Iph. T. v. 130; carent enim hi versus diaeresi, quam omnes habent praeter unum Hecubae v. 62, in quo certo consilio diaeresin vitatam esse vix te fugiet, leges rhythmicae, quas occasione data statim obiter tangam, migrantur.

Paroemiacus enim nusquam in arsi paenultima duas habet breves, cuius rei causa esse mihi videtur, quod haec arsis tempus supplens, quod ad tetrapodiam acatalectam efficiendam necessarium est, in ipso systemate per quattuor moras sonat, ut semper sit paroemiaci liberi in medio systemate positi schema hoce: ⏖ ⏖ ⏖ ⏖ ⏖ ⌴ — (cf. Westphal. l. l. p. 156). Neque enim post ultimam arsin per duas sileri moras in systemate ipso per se consentaneum, quod silentio duorum temporum intermisso sententia distrahatur, neque in illa ipsa arsi fuisse tonen docent omnes quas quidem sciamus modulationes musicae, in quibus haec ratio nusquam adhibita est (cf. Bellermann. Die Hymnen des Dionysius und Mesomedes p. 70—78. 64—66). Haud ignoro numeris non nimium tribuendum esse, quod perexigua sunt quae de veterum rebus musicis eruere contigit sed in eis quae cantata esse aliorum argumentorum vi comprobatur, respiciendae sunt leges rhythmicae, ne versus non unam ob causam suspectos, quippe qui veterum arti musicae repugnare videantur, intactos relinquamus.

Redeo illuc. Numeros ‚inelegantissimos' Iph. T. v. 130: *πόδα παρθένιον ὅσιον ὁσίας* iam Seidlerus veretur ne nusquam tragici admiserint. Et coniecit vir metricus versum esse redigendum in hanc formam: *πόδα παρθένιον ὁσίας ὅσιον*, quod poeta ultimam in *παρθένιον* syllabam ante repetitas voces producere posset. At omnino nunquam a n t e voces repetitas producitur syllaba, sed aut ante iterationem aut post eam pausa *λέξεως* intermittitur, id esset loco illo aut ante *ὅσιον* aut post hanc vocem (cf. Hermann. Elem. p. 248). Rectius igitur altera Seidleri coniectura metro succurrit. Proposuit enim vir praeclarus in adnotatione editionis hanc transpositionem: *ὁσίας ὅσιον πόδα παρθένιον.* Verum tamen minus probabile nec verisimile verba illa *ὁσίας ὅσιον* ex initio versus in finem inverso ordine pervenisse, ut omittam *ὅσιος* adiectivum de diis nusquam usurpari (cf. Kvičala l. l. p. 22). Nec removetur scru-

pulus, quo non iniuria stimulabantur Hermannus et Hartungus, qui coniciunt scribendum esse *πόδα, παρθέν', ὅσιον ὁσίας*, quod eluceat chorum compositum esse ex mulieribus ex v. 1069 sqq., quibus Iphigenia chorum alloquitur his verbis:

σὲ καὶ σ' ἱκνοῦμαι, σὲ δὲ φίλης παρηίδος
γονάτων τε καὶ τῶν ἐν δόμοισι φιλτάτων,
μητρὸς πατρός τε καὶ τέκνων ὅτῳ κυρεῖ,

et ex v. 1143 sqq. *χοροῖς δὲ σταίην, ὅθι καὶ παρθένος εὐδοκίμων γάμων . . . εἱλίσσουσα ἡλίκων θιάσους . . γέννας ἐσκίαζον.* Ac re vera haec verba coarguunt choreutas liberos peperisse nec iam virgines esse, quae ab aliis nostri loci gratia expulsa vel mutata sunt. Quodsi quid recipere possis postulas dari, hanc construendi inierim rationem:

πόδα παρθενίας ὁσίας ὅσιον
κληδούχου δούλα πέμπω,

qua forsitan paulo emendatior proponatur versus. Nam id in partibus lyricis te non offendat, quod adiectivorum collocationem metrorum rationi adaptari necessarium fuit. Cf. Herc. fur. 361 sqq., J. T. 1245 sq., id genus alia.

Sed hoc largitus sum aliquantisper, ut quod solum reliquum est exemplum quin corrigendum sit etiam minus quisquam dubitet; in quo metri deformitas eo adduxit ut perspiceretur *Πρίαμον* et *Ἑκάβαν* esse interpretamenta, quibus expulsis locus colore vere poetico excellit et enitet. Perbene igitur Lentingus sic constituit versus:

ἃ σφάζει μὲν τὸν πεντήκοντ'
ἀροτῆρα τέκνων, ἐμὲ τὰν μελέαν δ'
εἰς τάνδ' ἐξώκειλ' ἄταν.

Pentapodia porro v. 148 sq.: *μολπὰν οὐ τὰν αὐτὰν οἵαν ποτὲ δὴ* quomodo sit corrigenda ex antecedentibus v. 146 sq elucet; neque enim usquam adverbia comparativa ex orationis luxuria duplicantur. Nam qui solus comparari possit Hec. v. 398 *ὁποῖα κισσὸς δρυὸς ὅπως* e. q. s. alius esse generis quivis videt, ut omittam vel huic loco, qui iustam excusationem admittit, manus iam varie esse admotas (*δρυὸς ἐγὼ* Sybelius,

δρυὸς ἀπρὶξ Weckleinius, *ὅμοια κισσὸς* Reiskius); nimirum adiectivum cum adverbio coniunctum est. Quid multa? Qui ea quibus Troadum locus laborat vitia duo observaverit me intelleget non sine aliqua veri similitudine in hunc modum disponere:

ὄρνισιν ὅπως πτανοῖς κλαγγὰν
μάτηρ, ἐξάρξω 'γὼ μολπὰν
οὐ τὰν αὐτὰν οἵαν ποτὲ δὴ e. q. s.

Certe rectiorem sum ingressus viam quam qui particulam *ὅπως* expellentes scribunt *ὄρνισ' ἐξάρξω 'γὼ μολπὰν* Marklandus et Hartungus; nunquam enim tragici iota eliserunt dativi (cf. Lobeck. de usu apostrophi p. 10 sqq.).

Restat ut lacunosum restituamus locum v. 144: *ἄλοχοι μέλεαι καὶ κόραι δύσνυμφοι*, quo si cum Kirchhoffio brevi manu *κόραι* proscriberemus, sensus laboraret obscuritate. Felicius rem Musurus expedivit, qui *καὶ* particulam excidisse putat post *κοῦραι* oculis librarii verborum exitu *-αι* deceptis. Qua coniectura quam contraxit metrum labes refecta est. Quamquam ne persanaret versum, ut sensus quoque evaderet dulcis, nimia scripturae traditae reverentia impedimento erat. Verum igitur vidisse putandi sunt Hermannus (opusc. VIII p. 205) et Seidlerus (ed. p. 152), qui scripserunt:

ἄλοχοι μέλεαι, μέλεαι κοῦραι
καὶ δύσνυμφοι.

Praeterea vix est quod commemorem esse scribendum in mendosis v. 139 *ἐφέδρους* et 141 *ξυρίᾳ* (cf. Hermann. opusc. VIII p. 206); nam qui expungunt *ξυρήκει* tripodiam efficiunt.

Atque haec recipiet qui quidem simplicitati et concinnitati non nihil tribuet. Nam hoc unum incommodis remedium adhibendum esse existimamus, ut in emaculandis apertis vitiis respiciamus rationem antistrophicam. Quam ut facili negotio perspicias, adscribo insignia metra respondentia: sunt monometri spondiaci v. 129 = 144, dimetri spondiaci bini v. 126 = 142, v. 127 = 143, paroemiaci spondiaci bini v. 122 = 138 (scribendo *οὓς* pro *οἵους* auctoribus optimis Troadum cod. Pal. B, Harl. A), 137 = 152 praeter complures dimetros et paroemiacos usitatos. Apparet vel ex hoc quam vera sit observatio de spondiacis.

Quodsi quis accuratam vult responsionem facile ex proposita textus recensione constituere potest scribendo v. 123 *κώπαισιν* pro *κώπαις*, v. 130 *κόλποισιν* pro *κόλποις*, v. 143 *οἰκτροτάτως* pro *οἰκτρῶς* et delendo *ποτὲ* v. 149. Equidem plane diiudicare non ausim utrum poeta liberam an accuratam responsionem anapaesticam affectaverit. Sed qui eas quas paulo supra tractavi threnodias respexerit videbit in monodia gravissimi doloris ac maeroris plena liberam responsionem veri habere speciem multo luculentiorem.

Proximum est ut disputemus de **Jonis** monodia in fabula eiusdem nominis v. 144—83, quae eodem modo quo monodia in Hecuba parodo praemissa est. Cuius quae pars legitimis constat anapaestis v. 82—111 supra tractata est; haec pars liberior excipit stropharum paria lyrica inter se respondentia. Qui proodi systemata duo v. 144—50 et 151—52 secuntur versus 154 sqq. responsionis legibus esse adstrictos primo oculorum obtutu cernitur. Quod enim positum est post v. 153 proanaphonema *ἔα ἔα·* repetitur in v. 170; itemque monometer v. 160 = 176, terni continui paroemiaci spondiacorum genere v. 156 sqq. = 173 sqq. praeter singulos alios paroemiacos et dimetros spondiacos respondentes coarguunt poetam voluisse responsionem, praesertim cum ante anapaestos liberos et post eos carmina et ipsa antistrophica reperiantur.

Primus Hermannus viderat verisimile esse etiam plures versus congruisse quam qui aperte respondent v. 154—57 et 170—73. Ac re vera quidem haud difficile est factu corruptos indagare locos, quibus extricatis et, quoad eius fieri potest, refectis multo non modo integrior sed etiam aequabilior nobis arridebit carminis imago.

Primum quidem corruptela nobis occurrit in v. 177 sq.; cuius corrigendae quam monstravit viam O. Henseus (l. l. p. 6) rectam esse non concedo. Quamquam quae sint difficultates maximae Heimsoethio (Krit. Studien zu d. griech. Trag. I p. 188) iam perspectae recte explicat. Quod enim post *ἀναθήματα* locus sit generaliori significationi *ναοί θ' οἱ Φοίβου* ex eodem verbo pendenti, id non quicquam habere excusationis. Vetus iam grammaticus hoc perspexisse videtur, qui adnotavit: *οὐ καλῶς*

ἔχουσι ταῦτα. Quo accedit quod v. 178 tripodia in hoc orationis conexu sine certa causa prolata suspicionem movet.

Itaque commovit metrorum ratio et orationis perversitas Heimsoethium ut remedium afferret scribendo *βωμοί τε θεοῦ* pro *ναοί θ' οἱ Φοίβου*, et Henseum ut v. 177 sq. de interpolatione suspectos haberet vel admisso gravi vitio: *ἢ νάπος Ἴσθμιον. Κτείνειν* e. q. s. in v. 176, cui in responsione opponit vir doctus *ἰσχὺν νικῶν.* Immo hi quidem ipsi sani obscurati sunt lacunis, quibus expletis sensus quoque evadat sanissimus necesse est. Hanc autem veram emendandi viam iam antea ingressi sunt viri docti. Primus Hermannus sensit aliquid esse oblitteratum, quocum accusativi *νάπος Ἴσθμιον* essent construendi. Etiam magis requires verbum, si hiatus evitandi causa Badhamo auctore *παιδουργεῖν* vel potius *παιδουργήσειν* scripseris, ut omittam, quod in uno libro Pal. B post *πειδούργει ἢ*, in altero Flor. C initio versus insequentis adnotatum est *λείπει κῶλον.* Quae cum ita sint, facile concedatur tot excidisse pedes post *νάπος Ἴσθμιον* et *ναοί θ' οἱ Φοίβου*, quot requiruntur ad restituendam rationem antistrophicam.

Parvulum restat vitium in versu strophico 158, quo quin *αὖ* absurdum sit iam nemo dubitat; quare Badhamus hanc particulam in *εὖ* mutaverat, Henseus l. l. p. 7 *μάρψω τόξοις σ', ὦ* scripserat, quam coniecturam disertis comprobat verbis simul demonstrans unde deduxerit corruptela originem.

Duobus igitur locis quos gravibus de causis depravatos esse dudum perspexere critici restitutis respondent inter se plane stropha et antistropha usque ad v. 165 et 180 excepto v. 179, qui cum strophico non congruit.

Itaque aut responsio libera exstat aut recipienda est Hermanni emendatio facillima nec non probabilis:

κτείνειν δ' ὑμᾶς αἰδοῦμαι τοὺς
τὰς θεῶν ἀγγέλλοντας φάμας

quippe qui paroemiacus singularis inter dimetros in hoc quidem cantico non nihil offensionis habeat. Quae res utut se habet, verisimilior utique videtur accurata responsio in hac monodia, quae antiquiora eaque antistrophica imitatur carmina. Haec potissimum ratio me omnibus iterum ac saepius perpensis movet ut

recentioribus, Dindorfio, Hartungo, Herwerdeno, qui totas periodos vel strophas inter se convenisse iudicant, assentiar, quamquam ratio eorum corrigendi assensionem non exigit.

Concedendum sane est habere hanc tragoediam eam potissimum ob causam, quod continet metra gravia et antiquitatem redolentia, ad imitandas veteres precationes ac paeanas facta, ephymniis insignita, hoc commodi, ut poetam in adornanda compositione ab antiquiorum severitate recessisse veri sit quam maxime dissimile. Itaque dignae certe videntur virorum illorum sententiae quae commemorentur, praesertim cum ratio inter eos conveniat. Exhibent enim in v. 182 *κοὐδὲν λήξω* pro *κοὐ λήξω*, quomodo fit ut *Φοίβῳ* versui praecedenti sit adscribendum et *θνατοῖς* in v. 181 novum fingat versum, in quo anapaestus periit.

Quare si eas quae propositae sunt rationes sequendas esse iudicaris, non sine aliqua probabilitate extremam antistrophae partem in hunc modum discribere audebis:

ἢ νάπος Ἴσθμιον
⏑⏑ – ⏑⏑ –, *ὡς ἀναθήματα*
μὴ βλάπτηται
ναοί θ' οἱ Φοίβου – ⏑⏑ –;
κτείνειν δ' ὑμᾶς αἰδοῦμαι τοὺς
τὰς θεῶν ἀγγέλλοντας φάμας
θνατοῖς ⏑⏑ –·
οἷς δ' ἔγκειμαι μόχθοις, Φοίβῳ
δουλεύσω, κοὐδὲν λήξω
τοὺς βόσκοντας θεραπεύων.

cum in reliquis omnibus praeter *παιδουργήσειν* et deletum *αὖ* nil sit mutandum.

Illustrata et exposita horum versuum ratione viam nobis munitiorem esse vides ad intellegendam monodiae Creusae in eadem fabula v. 859—922 responsionis aequabilitatem. Cuius rei unum profecto documentum certum agnoscitur, quod duo v. trochaici sibi respondent v. 889 *κρόκεα πέταλα φάρεσιν ἔδρεπον* et v. 900 *ἵνα με λέχεσι μέλεα μέλεος* (cf. p. 52 sq.) praecedentibus bis iisdem tribus paroemiacis spondiacis ac sequente paroemiaco

eiusdem generis. Idem hoc vetus aliquis metricus intellexit, qui versui 886 *στροφή*, v. autem 898 *ἀντιστροφή* adscripsit. At id quod viri docti rectissime dudum perspexerunt, qui sententiarum contextum continuat v. 886 initium stropharum efficere nequit. Nam etiamsi stropha cum antistropha vel epodo sententiarum conexu nonnunquam vel in stasimis arte cohaeret,*) strophae initium apud Euripidem semper a novo incipit enuntiato.

Veri igitur est admodum simile v. 889 et 890 sedes suas invicem permutasse, quod versibus in hunc ordinem redactis stropha 887—896 et antistropha 897—906 accuratae responsionis anapaesticae legibus parent. Nec desunt metra, quae praeter illos versus trochaicos indicant responsionem a poeta factam esse. Ab initio enim stropharum usque ad sextum versum omnes anapaestici sunt catalectici; hosce autem excipiunt singuli acatalecti 894 = 902:

κραυγὰν ὦ μᾶτέρ μ' αὐδῶσαν =
πτανοῖς ἁρπασθεὶς θοίνα παῖς.

Secuntur in stropha dochmius: *θεὸς ὁμευνέτας* (cf. p. 50), tripodia anapaestica: *ἄγες ἀναιδείᾳ* aequalis eis quas legimus v. 147 sq.:

ἃν ἀποχεύονται
Κασταλίας δῖναι,

tripodia anapaestica: *Κύπριδι χάριν πράσσων*, sicut est v. 149 sq.:

νοτερὸν ὕδωρ βάλλων,
ὅσιος ἀπ' εὐνᾶς ὤν.

In antistropha circumdant tripodiam eiusdem generis v. 905: *σὺ δὲ κιθάρᾳ κλάζεις* duo versus spondiaci: *μοι καὶ σος τλάμων* vel potius *μοι καὶ σοὶ τλάμων* (cf. Christ. Mtr.[2] p. 272) et *παιᾶνας μέλπων*, quorum primum esse dochmium, alterum tripodiam anapaesticam docent versus antistrophici.

Qui secuntur v. 907—15 si recte essent discripti, non videretur dubium qua arte essent compositi. Legimus enim in libris pentapodiam anacrusi praefixa v. 908 sq.: *ὃς ὀμφὰν κληροῖς πρὸς χρυσέους θάκους*, quam ferri non posse inter omnes

*) cf. Barthold. Krit. Bespr. einiger Stellen aus Eur. u. s. Schol. p. 12.

iure convenit. Nauckius admittit hoc unico loco prosodiacum: *ὃς ὀμφὰν κληροῖς* et tripodiam acatalectam: *πρὸς χρυσέους θάκους καὶ*; quam ut vitet Bartholdus constituit duas tripodias catalecticas medio in systemate, ita ut metrum, quod iure vocat inauditum apud Euripidem, metro non minus in ipsis systematis inusitato compensari iubeat. Alia igitur ingredienda est via.

Atque in systemate quidem quod sequitur praeponenda est exclamatio v. 912 ut saepius:

ἰώ,
κακὸς εὐνάτωρ,

ne habeamus tripodiam acatalectam. Admodum igitur est probabile hic item exclamationem extra versum esse pronuntiandam. Scribam igitur sic disponens:

ὠή,
paroem. *τὸν Λατοῦς αὐδῶ, ὃς ὀμφὰν**)
paroem. *κληροῖς πρὸς χρυσέους θάκους*
καὶ γαίας μεσσήρεις ἕδρας,
paroem. *εἰς οὖς αὐδὰν καρύξω·*

Quomodo fit, ut systema quod sequitur respondeat ea ratione, qua Westphalus monometros ac dimetros intendum ad se invicem referri probavit:

ἰώ,
κακὸς εὐνάτωρ,
paroem. *ὃς τῷ μὲν ἐμῷ νυμφεύτᾳ*
χάριν οὐ προλαβὼν
paroem. *παῖδ' εἰς οἴκους οἰκίζεις·*

Jam ut summam complectamur, habemus initio monodiae liberam responsionem duorum systematum fere legitimorum v. 859—880 eadem sententiarum compositione symmetrica, quam in legitimis saepius repperimus: 859—869 ∼ 870—880.
6 + 4½ 5½ + 4½

*) *ὃς ὀμφὰν* exhibent omnes codices (cf. Wilamowitz. Analecta Euripidea ad. l.). Codicis Florentini manus c scripturam *ὅς γ' ὀμφὰν* recte respuit Herwerdenus.

Deinceps in cantu fere lyrico v. 881—922 secuntur praemissa proodo v. 881—86 duo stropharum paria: v. 887—97=898—906 et 907—11∾912—15, et absolvitur universa monodia uno systemate v. 916—22 epodi loco posito.

Atque in hac monodia ratio antistrophica, quamvis de via ingredienda fuerit dissensio, omnibus probari videmus, in ea autem ad quam nunc accingor **Hippolyti** monodia v. 1347—88 ne umbra quidem antistrophae effici potest. Nec mirum hoc loco, quo cum magna rerum perturbatione summus mentis tumultus coniunctus est.

Praemissum systema legitimum a choro recitatum v. 1342—46 excipiunt Hippolyti anapaesti maximam partem legitimi v. 1347—69, dum laceratus in scaenam apportatur; postea dolore vehementissime excitato queritur metris maxime alloeometricis inde a v. 1370. Quas inter periodos ab homine usque ad mortem excruciato prolatas v. 1347—69 et 1370—88 nihil aliud similitudinis intercedit ac proanaphonema *αἰαῖ αἰαῖ* et versuum numerus, qui est XXI, si in anapaestis Weckleinius v. 1368 *τῆς εὐσεβίας* iure expunxit et Westphalus l. l. p. 432 versus alloeometricos recte discripsit.

Sed iam satis multa de hac monodia; restat ut Iphigeniae monodiam in **Iphigenia Aulidensi** v. 1319—29 brevi absolvamus. Constat enim huius carminis pars anapaestica duobus systematis quinorum versuum, in quibus paroemiacus v. 1322 *ὤφελεν ἐλάταν πομπαίαν* versui *τοῖσι δ' ἀνάγκαν, τοῖς δ' ἐξορμᾶν* respondet, si Hermannus recte monet, ut sit delendum *τοῖς δ'* flagitare sententiam hanc: aliis Jovem temperare auras ut fausta, aliis ut infausta navigatione utantur, aliis ut necessitas vela dandi quibusdam, aliis autem persequendi cursus, aliis manendi afferatur. Juvaret, si ultimo systematis versui paroemiaco: *μηδ' ἀνταίαν Εὐρίπῳ* responderet antisystematicus: *τοῖς δὲ στέλλειν, τοῖσι δὲ μέλλειν*; secuntur enim versus alloeometrici.

Pervenimus ad finem quaestionis et quod voluimus assecuti esse nobis videmur. Demonstravimus enim Euripidem quoque antitheticae compositioni anapaestorum favisse, nec tamen usquam tam elaboratae et artificiosae quam decepti ratione Sophoclea ac potissimum Aeschylea*) nonnunquam proposuerunt homines docti, sed simplici eique quam musica ratio poposcisse videtur. Hinc etiam patefiet quid sit quod cum in carminibus prorsus lyricis pes pedi respondeat, in anapaesticis ordines ad se invicem referantur eodem quo in deverbiis modo. Etenim cum deverbiorum partes, quae quidem responsionis legibus sint adstrictae, tum anapaesticas probatum est recitatas esse concinente tibiarum sonitu ea ratione, cui nomen erat *παρακαταλογή*. Et haec quidem modulatio musica non responsionem nisi ordinum exegisse videtur, sicut lyrica pedum congruentiam. Quare ut in lyricis, si pedes inter se prorsus consonant, responsionem vocamus accuratam, contra si id tantum observatum invenimus ut pedes in utroque versu idem temporis spatium expleant, liberiorem dicimus responsionem, ita in anapaesticis utimur nomine accuratae responsionis, si dimeter dimetro, paroemiacus paroemiaco, monometer monometro respondet, liberae autem, si secus se habet et interdum tempus, quod necessarium est ad explendum dimetrum, in altera stropha aut pausa aut tone suppletur. Sed hanc rationem musicam, quam in recitandis anapaestis legitimis omnes secuti sunt tragici, ad componendos liberos primus Sophocles (in El. v. 86 sqq.) sumpsisse videtur. Nempe Aeschylus favet in anapaesticis liberis pedum responsioni, quam Euripides iam non adhibuit nisi in versibus spondiacis.

Atque qui circumspexerit videbit artem in componendis systematis liberis non eandem fuisse in omnibus fabularum partibus, sed responsionem severiorem magis curavisse Euripidem in parodis (Tro. Alc.), in commaticis (Tro. Hec.), in carminibus sollemnibus (Jon.). Monodicae autem threnodiae (Iph. T. Hec. Tro. Iph. A.) liberiori responsioni accomodatae videntur.

Et in duobus tantum carminibus, Hippolyti monodia excitatissima et Iphigeniae Aulidensis parodo fere legitima, prorsus nulla responsionis lex observata est, licet Iphigeniae parodus sit corrupta ex anapaesticis legitimis, quos in parodo ad responsionem non constrictos teneri vidimus.

---

*) cf. Nieberding. l. l. imprimis p. 49 sq.

INDEX LOCORUM TRACTATORUM.

	Pag.
Eur. Alc. 77—135	43 sq.
— „ 861—925	38 sq.
— Andr. 137	28 sq.
— „ 490	6—8
— „ 515—544	39
— „ 1173—96	17—20
— Bacch. 431	19 adn.
— Hec. 59—97	55 sq.
— „ 98—153	31
— „ 154—215	46—50
— Heracl. 608—629	2 sq.
— El. 168	26—28
— „ 191	26—28
— Suppl. 271—285	12—17
— „ 1114—22	36
— Hipp. 170—266	33
— „ 1347—88	66
— Iph. A. 1—48	32 sq.
— „ 1319—29	66
— Iph. T. 123—235	51—55
— „ 126 sq.	57
— „ 130	58 sq.
— „ 456—466	36
Eur. Iph. T. 1134 sq.	23—26
— „ 1151	23
— Jon. 82—111	32
— „ 144—183	61—63
— „ 859—922	63—66
— Med. 96—212	33 sq.
— „ 1081—85	36—38
— Phoen. 784—833	3—12
— „ 1539—66	20 sq.
— Tro. 98—121	31 sq.
— „ 122—152	56—61
— „ 153—196	45 sq.
— „ 197—229	40—43
— „ 595—606	20
— Rhes. 1—51	34 sq.
— „ 738—753	39
— „ 910	22
— fragm. 475	31
— „ 836	38
Soph. Antig. 134	8
— „ 796.	6 sq.
— El. 148	5

Typis Augusti Priesii, Lipsiae.

VITA.

Natus sum Hermannus Conradus Oswaldus Eichler patre Augusto alumnei quod in hac floret urbe surdis educandis directore et matre Elisabetha e gente Reich-Heinickia Lipsiae anno h. s. sexagesimo Jd. Oct. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Scti. Thomae, quod Ecksteinio et Jungmanno rectoribus florebat, adii. Anno h. s. octogesimo altero maturitatis testimonium mihi datum est. Atque inde ab hoc tempore in academia Lipsiensi per quattuor annos studiis philologicis me dedidi atque scholas audivi Brugmanni, Curtii, Ecksteinii, Hermanni, Hirzelii, Langii, Lipsii, Overbeckii, Ribbeckii, Strümpellii, Voigtii, F. Zarnckii. Exercitationibus proseminarii, quod Lipsius regebat, interfui; deinde mihi licuit ut et per duo semestria seminarii historici Meyero et Maurenbrechero praesidibus et per annum et sex menses seminarii philologici Langio, Lipsio, Ribbeckio directoribus sodalis essem ordinarius. Praeterea frequentavi exercitationes seminarii germanici F. Zarnckii et de Bahderi. Ad societates Langius et Ribbeckius libenter ac benigne aditum mihi dederunt. His viris omnibus imprimisque Langio ac Ribbeckio debitas summis in me meritis gratias ago quam maximas.